


6
27 · L
57



42	42
6	6
39	13

Viro Cl. ac Rev. Patri
Roothaan
S. J. Praep. Gener.
D. D.
Auctor

DISQUISITIO JURIDICO-POLITICA

DE

OECONOMIAE POLITICAE NOTIONIBUS

IN CORPORE JURIS CIVILIS JUSTINIANEO.

DISQUISITIO JURIDICO-POLITICA

DE

OECONOMIAE POLITICAE NOTIONIBUS

IN CORPORE JURIS CIVILIS JUSTINIANEO,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JANUS GUILIELMUS TYDEMAN,

LUGDUNO-BATAVUS.

AD DIEM XXIV SEPTEMBRIS MDCCCXXXVIII, HORA I–II.

IN AUDITORIO MAJORI.



LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD S. ET J. LUCHTMANS.
CIƆIƆCCCXXXVIII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

HENRICO GUILIELMO TYDEMANNO,

VIRO CELEBERR., PATRI CARISS.,

FILIUS S.



Dum in deserta per aestatem Leida dissertationibus meis conscribendis et typographi prelo mandandis incumbo, Tu, dilectissime Pater, in felicissimo Gelriae situ otiaris; sed, ut adsoles, in ipso otio multifariis tamen ac quotidianis occupationibus obrutus. Immo vero, hisce negotiis augendis ipse studui, mittendo tibi specimina typographa hujus mei opusculi revidenda et corrigenda: quod, ut ipsae ad me redeuntes pagellae testabantur, saepe in hoc vel illo delicioso vicu, sub ulmorum vel quercuum umbra, aut ad superbi Rheni ripam, inve modesta tua habitatione, mei causa perfecisti; a gratis deambulationibus dulcique confabulatione ob triste illud opus atque officium abstinens. Nec possum non summopere tuam hac in re praedicare diligentiam, quae non raro me de horrida et inculta scri-

bendi ratione monuit, eamve correxit; nam, cujus rei numquam obliviscar, ipsam materiam, simul atque aliquam partem absolveram, non paucis pomeridianis horis tibi recitavi: tu tuas animadversiones, quas quanti fecerim, jam tibi probatum fore spero, mecum communicasti: qua occasione saepius obtinuisse memini, ut quod tu me hujus illiusve JCti fragmentum huc vel illuc pertinere monebas, statim in dispositis a me locis sequeretur; quod quonam gaudio me afficiebat, tunc non occultavi. Etenim erat hic mihi jam jucundus studiorum fructus, qui post anni et quod excedit in hac materia elaboranda pervicaciam, non plane me fallere debuit.

Notum tibi est, mi Pater! quî primum Oeconomas ipse notiones, tuis doctissimis scholis excitatas, elaborare atque confirmare mihi debuerim, antequam easdam illas opiniones in Corpore Juris investigandi laborem suscipere potuerim: notum tibi est, quamdiu me occupatum tenuerit Digestorum, Institutionum, Codicis, Novellarum, diligens perquisitio: et dein, cum indigesta illa moles diribenda atque separanda, tum vero recolligenda atque copulanda, tandem disponenda, explicanda interdum et dijudicanda fuit; – non mirum sane me, insuper animi dolore propter domestica fata affectum, et aegro corpore laborantem, diutius huic dissertationi conscribendae inhaesisse; atque adeo temporis spatium ad litterarium opus absolvendum non nisi permodicum mihi superfuisse.

Curriculum Academicum, septem fere annorum, jam peregi; liceat mihi in spatium percursum tecum respicere. Copiis literariis aliquantum instructus, cura imprimis generi tui jam defuncti, JAC. TERPSTRA, *cujus amantissimi memoria sancta mihi semper erit, ejusque patris, tui nostrique amicissimi,* GUIL. TEPSTRA, *sub tuis oculis et littera-*

rum et Juris studio incubui. Collegis tuis tuum me nomen et auctoritas commendavit; eorum in me benevolentiam ut numquam non expertus sum, sic et hanc, et praeclaram eorum doctrinam atque merita quotidie commemoravi: nunc publice iis omnibus gratum meum animum probo: imprimis Clarissimis ASSENIO, COCKIO *et* THORBECKIO, *quos tecum in juridicis politicisque doctrinis auctores mihi habere contigit. Ex quibus cum et quondam discipuli tui familiaritas et meorum studiorum ratio Clar.* ASSENIO *me penitius adjunxerit, hujus singularia in me tam gratiae atque benignitatis testimonia, quam excultae humanitatis atque scientiae merita, tum ante hos tres annos publicis disputationibus auspicatus professus sum, et nunc laudibus extollo. Faveat iis Deus O. M., tibique servet incolumes collegas atque amicos, Civitati et Academiae lumina. Tua autem hîc divulgare paterna, quibus superbio, in me beneficia, elegantissimam, qua frui licuit, institutionem, - vel etiam insignes commemorare in Juris scientia, in Politicis artibus, in tota Civitate laudes, quas suo pretio ne aestimare quidem possim, - non aggrediar: scio enim fore, ut stilo verso statim haec a te delerentur.*

Atque haec publica sunt; privata, si tibi molestum non est, nonnulla referam. Huc primo loco pertinet fratris tui consanguinei, patrui mei dilectissimi, Cons. TYDEMANNI *summa quam in me erudiendo atque excolendo cura, posuit; cujus, in me merita cum, ut neque ceterorum praeceptorum, numquam nec satis sufficienterque efferre, nec remunerari aliquando possim, nisi grati animi ingenua professione, - sic ejus laudes hîc praedicare non dubito. Multi alii quoque sunt, quibuscum me studiorum similitudo aut animi consensus imprimis conjunxerat; quo, praeter ceteros quibuscum una huic vel illi literarum ju-*

risve parti excolendae dedi operam, collegiorum tum literarii Utile et Jucundum, *tum vero Juridici* Cures quod audis *socii pertinent. Horum gratam et fructuosam necessitudinem dum hic recordor, simul ut iis, ut reliquis quoque commilitonibus, valedicam, necesse est.*

Jam paternam domum, et quae paternae instar mihi erat, dilectissimi BODELLI, *linquendi tempus adest, ut Amstelaedami me causarum patronum profitear, et, duce Cons.* LIPMANNO, *discipulo quondam tuo, amico nunc integerrimo, fautore meo, Juris praxin et populares voluntates experiar.*

Multa mihi mentem obruunt, dum laeta illa et jucunda, sed tristia quoque subinde et luctuosa recordor, quae tam mihi in domestica necessitudine et familiaritate versanti quam vobis omnibus acciderunt. Nunc jam, neque tua consilia, neque tui meorumque adspectus, et amoris testimonia quotidie mihi praesentia erunt; sed novum spatium ingredior, alios inter mihique pro majori parte ignotos homines versabor, studiorum fructus quaesitans atque laborum; quod ut mihi bene vertat, faxit Deus Omnipotens.

Tu jam, vale, mi optime Pater! et nobis atque Academiae, ut es, diu sis praesidio. Valete vos omnes, necessarii atque amici, iterum valete!

Leidae, ipsa die natali tua 25 Aug. 1838.

OPERIS CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.



Scribendi de hac re occasio: - refutatio Cl. SAY et Doct. CHERBULIEZ: - opusculi consilium: inquirendi ratio. - De nomine Oeconomiae Politicae: de scientia ipsa: - de cura sortium publica apud Romanos.

Mirabitur forte quis, ibi Oeconomiae Politicae vestigia me inquirere ubi ne nomen quidem ejus cognitum fuisse videatur, eaque ex his libris eruere in quibus de omnibus aliis quam de politicis rebus sermo esse credatur. — Quid? aiet, Romani, imo JCti Romani, Oeconomiam Politicam noverint? quid? illi, qui brevissimis responsis atque annotationibus jus civile explicarunt, his ratiocinationes politicas intermiscuerint? Quid? horum ex fragmentis detruncatis quae legum codicem efficerent, philosophas quasdam de sortium ortu, incremento et usu opiniones petiveris? — Neque sine aliqua veri specie haec aliave enunciantur: — et tamen vera minime sunt. Hoc paucis explicare non erit incongruum.

Quum pro studii mei ratione Juri Romano operam dabam et cum Digestorum fragmentis aliquam contraxeram familiaritatem, patris, Viri Cel. scholis politicis interfui; et ipse mirabar, multa me auditu percipere, multa me

in Cl. SAY Tractatu de Oeconomia Politica legere, quae mihi non plane inaudita sed nota jam erant; quaesivi, unde has tenebam notiones; neque diu incertus haesi: saepius enim Oeconomi opinio ipsa verba hujus illiusve JCti in mentem mihi revocabat; saepius quoque aliquod Digestorum fragmentum a patre meo citatum audiebam: — hoc omne dubium sustulit: et jam me ceperat cogitatio id altius inquirendi, cum verbis quibusdam incidebam Cl. SAY, quae ut minus accurata mihi videbantur, sic animum incitabant, scripta dissertatione ea corrigendi.

Dicit enim vir, ceteroquin acutissimus et laudes meas longe superans, in sermone praevio Tractatus de Oec. Pol. (1): » Les écrits des anciens, leur législation, leurs traités de paix, leur administration des provinces conquises, annoncent qu'ils n'avaient aucune idée juste sur la nature et les fondemens de la richesse, sur la manière dont elle se distribue, et sur les résultats de sa consommation:" cet., et alio loco de ipsis Romanis: » Les Romains décélaient la même ignorance (atque Aegyptii) lorsqu'ils traitaient avec mépris les arts industriels, en exceptant, on ne sait pourquoi, l'agriculture. Leurs opérations sur les monnaies sont au nombre des plus mauvaises, qui se soient faites." Dein eadem plane ratione a recentiore quoque scriptore easdem praejudicatas opiniones vidi relatas, nimirum a Doct. CHERBULIEZ (2), qui talem scientiam ante Doct. QUESNAY exstitisse negat, dicens v. g.: » Il y a eu des

---

(1) SAY, *Discours Préliminaire au Traité d'Économie Politique.* p. XXXI, XXXIV. Ed. Bruxell. 1827. (2) P. 237, 240, diarii: *Bibliothèque Universelle de Genève*, Décembr. 1837. N°. 24, in cens. operis Doct. BLANQUI, *Histoire de l'Économie Politique en Europe, depuis les anciens jusqu'à nos jours*, par ADOLPHE BLANQUI (ainé). 2 Vol. Paris 1837.

phénomènes économiques dès la première formation des sociétés; il y a eu des explications erronées de ces phénomènes, et de fâcheuses mésures prises en conséquence de telles explications; mais tout cela ne constitue point une science. Faire l'histoire de ces phénomènes, de ces explications et de ces mésures, ce n'est point faire l'histoire d'une science;" cet. — Ipse autem Doct. BLANQUI ansam dedit huic assertioni: nam probaturus revera Oeconomiam Pol. notam fuisse antiquis gentibus, sic invehitur in eos Oeconomos, qui id negant: »Ce préjugé (ait) des économistes est dû à ce que les anciens n'ont laissé aucun ouvrage spécial qui resumât leurs vues sur la science économique; mais si ces vues n'ont pas été exposées dans un livre, elles se retrouvent dans leurs institutions, dans leurs monumens, dans leur jurisprudence" (1). Atqui non probavit haec sua verba; et constitit in divulgatione factorum quorumdam statisticorum omnibus notissimorum: quae, concedo, oeconomiae scientiam non probant: quum contra ostendere debuisset, veteres cogitasse de hac scientia, ejusve parte; philosophas exstare notiones in eorum scriptis, unde quid sint divitiae, quî acquirantur, quî optime adhibeantur, pateret; leges atque instituta quae huc pertinent, ab oeconomico principio esse profecta, atque eo tendere, ut civium salus quam minimis impensis promoveretur. • Hac autem de re ne cogitavit quidem Doct. BLANQUI, dicens v. g. (2): »Il y a donc eu une économie politique chez les anciens comme chez les modernes; non pas une économie politique systématique et formulée, mais ressortant des actes et pratiquée avant d'être écrite."

---

(1) BLANQUI l. l. T. I. p. 3. (2) l. l. p. VII. *Introd.*

flaec ferre non potui; et quum omnia illa refutare vires meas atque speciminis propositum longe excederet, ea tamen quae ad me pertinere videbantur, intacta linquere nolui. Mittens igitur ceteros prisci aevi populos, mittens quoque ipsos ceteroquin Romanos; horum tamen partem a tali opprobrio vindicandi occasionem arripere haud dubitavi. Probare igitur conabor JCtos Romanos revera de Oeconomiae Politicae quibusdam partibus esse ratiocinatos, ejusque notiones sanissimas ad vitam civilem applicasse: praeterea, Imperatores Rom. saepius ex oeconomo principio profectos, hoc illudve sancivisse. Ut tamen certos mihi fines statuerem, ex uno Corpore Juris Civilis Justinianeo haec eruere volui, reputans, si ex una fragmentorum de Jure civili collectione jam refutare possim de Romanorum imperitia opinionem, totum hunc populum omnesque lumine claros in ea civitate viros a recentiorum vituperio me defendisse (1).

Novo igitur ardore incensus corpus juris civilis perlegere studui ita, ut eos locos annotarem inter quos et Oeconomiam Politicam aliquam rationem esse censebam; et magnum saepe gaudium expertus sum, cum ipsa quasi verba ipsasque sententias ibi reperiebam quas in Cl. SAY tractatu jam legeram; vel quum in alias incidebam quam maxime sanas opiniones de pecuniae origine, notione, valore; de sortium partibus, usu; de industria producti-

(1) Huic negotio partim quoque alii operam dederunt: huc refer ea, quae aggressus est H. J. CALKOEN, *Over eenige Staathuishoudkundige gevoelens en stellingen in de geschriften der ouden, en vooral in die van Cicero voorkomende.* Cf. DEN TEX en VAN HALL, *Bijdragen tot Regtsgel. en Wetg.* T. VI. a. 1831, 1832. p. 413, sqq.; — et Doct. HERMANN, *Diss. exhib. sententias Romanorum ad Oeconomiam universalem s. nationalem spectantes.* Erlang. 1823. Opus hoc mihi non notum nisi ex Mess-Katalog v. Sept. 1831.

va, ejusque lucro; deque multis aliis Oeconomiae Pol. capitibus quae ad creationem, distributionem et consumtionem divitiarum pertinent.

Ast aliud, longe centrarium ac Cl. SAY, mihi accidit: tot nimirum inveni, ut illa omnia disponere, explicare, conferre, longius me abduceret et diutius moraretur, quam aut tempus aut disserendi locus sineret: — et quum antea de tota Oeconomiae Pol. apud JCtos Romanos notione, deque omnibus partibus hujus apud eos scientiae disputare volueram, vidi, coercendam esse materiam et cogendam. Praecipua quaedam igitur decerpens, aliquot mihi proposui capita, quae Oeconomiae Pol. partes insigniores complecterentur: ita autem disposui, ut singulas potius ostendere quam explicare viderer; alii potius elaborandi materiam praeberem, quam ipse exhaurirem.

Quod recentiores attinet de Oeconomia scriptores, plerumque unum SAY citavi, ad eumque retuli: interdum nullum apposui locum, cum ipsa JCti verba Oeconomas illas notiones omnium facile oculis proponerent.

Restat jam ut ei respondeam crimini, quasi rem ignoraverint Romani JCti, quia nomen ipsis non fuit adinventum; quum jam illud eos defenderet: »natura... rerum conditum est ut plura sint negotia quam vocabula" (1). Nomen illud Oeconomiae (2) Politicae recentioris demum

(1) L. 4. D. *de praescr. verb.* (2) *Oeconomus* in Cod. Just. dicitur magistratus praepositus aerario civitatis vel ecclesiae; imprimis frumenti dispensator publici. Cf. l. 14. pr., l. 26. § 6, 7. C. *de SS. Eccles.*, l. 25, l. 33. § 2, 3; l. 35, l. 42. § 4, 5, C. *de Episc. et Cler.*, l. 34. § 5. C. *de Ep. aud.*, l. 6, 7, C. *de his, qui ad Eccles.*; cet. Nov. 3, 7, 45, 120, 123, 131, 147, ibique GOTH.

aevi est, seculi scilicet XVIII[i]: priores de hac materia sub titulo *de pecunia*, *de auro et argento*, *de mercatura*, *de divitiis*, *de utilitate publica*, cet. (1) scripserant: cum postremo illo, Romanorum *publice utile est*, *jus publicum*, cet. valde conveniunt, ut cito apparebit. Id autem quod diversis illis nominibus significatur, scientiam scilicet: publicum civitatis commodum inniti saluti singulorum; divitias nationis constare ex conjunctis sortibus omnium; quo magis hae augentur, eo magis illas crescere; summeque igitur esse curandum, ut privatorum sortes augeantur: — eam, inquam, scientiam Romanis notissimam fuisse, ex JCtorum de jure civili fragmentis facile ostenditur.

Etenim operae pretium est animadvertere, in Digestis quot loci inveniantur quibus cura publica regiminis significatur quae privatorum fortunas, dominiique securitatem amplectitur: et magnum inde existit desiderium ceterorum clari alicujus JCti scriptorum, quem vides singulorum res semper ad utilitatem omnium reduxisse, deque usu sortis et nationis commodo vere fuisse philosophatum: nec mirum foret exstare, qui conficiendo et hallucinando, sententias eorum de jure communi enunciatas, quantum ex iis quae restant liceat, restituere studerent. Opus tamen illud perquam esset difficile, neque sine magnis suscipiendum cautionibus; saepius enim, quam JCti cujusdam sententiam putares, ejus mentem longe excederet; et ex his, quae recentiorum doctrina monuit, nimis tribueres ei, qui universe tale quid dixisse videretur.

---

(1) Say *Discours* p. xxxv, sqq.

Sic v. g. illud Oeconomiae Pol. principium: sortem publicam nationis compositam esse ex singulorum sortibus conjunctis (1), ipsis quidem his verbis apud nullum JCtum invenitur; neque in his eorum scriptis forte esset quaerendum: attamen id iis notum fuisse si probari possit, insigne fuerit hujus apud Romanos exculti studii specimen.

Sunt certe loci, unde patet fundamentum quo nititur illud Oeconomiae Pol. principium Romanis perquam fuisse vulgare; neque enim sine certo quodam proposito dicit GAJUS (2): »in *omnibus rebus* animadverto *id perfectum esse* quod ex *omnibus* suis partibus constat." Adde ULPIANUM (3): »si quis cum totum petisset, partem petat, exceptio rei judicatae nocet: nam *pars in toto est: eadem* enim *res* accipitur, et si *pars* petatur ejus quod *totum* petitum est. Nec interest, utrum in *corpore* hoc quaeratur, an in *quantitate*, vel in jure." Ex his enim locis patet, quam fixa his JCtis fuerit opinio de *toto* illo, quod compositum est ex suis partibus; et quantopere hoc axioma in omnibus vitae rationibus probaverint.

Imprudens tamen foret, opinor, qui hoc tantum argumento nisus, scientiam illis quasi suppeditaret: — nam fieri potuit, ut haec dicentes de Oeconomia Pol. vel sorte publica ne cogitaverint quidem: — at aliud est, quod quo magis videtur praecedenti oppositum, eo verius tamen et Oeconomis probatius est: quodque cum Romanis item notum fuit, de horum scientia opinionem quam certissime confirmat. Scilicet, quamvis utilitas privato-

(1) SAY *Traité* T. I. p. 29. (2) L. 1. D. *de orig. jur.* (3) L. 7. pr. *de except. rei jud.*

rum omnium constituat publicam utilitatem, accidit tamen nonnumquam, ut commune commodum videatur singulorum commodo oppositum; idque necesse sit, ut publicae causae condonetur (1): idem illud est in multis Digestorum locis: »Jus publicum (2) privatorum pactis mutari non potest" (3): »si quid universitati debetur, singulis non debetur; nec quod debet universitas, singuli debent" (4): »universitatis sunt, non singulorum..., ideoque nec servus communis civitatis, singulorum pro parte intelligitur, sed universitatis" (5): »cum familiae erciscundae vel communi dividundo agitur, universae res aestimari debent, non singularum rerum partes" (6).

Nullum igitur potest esse dubium, quin ii qui in jure sententiam tuiti sunt utilitati omnium tam consentaneam, in politicis quoque eandem servaverint. At luculentissime hujus dicti veritas perspicitur, si intuearis quantopere publice curaverint privatorum sortes, ne vel per ipsorum dominorum negligentiam vel per improborum fraudes in discrimen adducerentur. Ex aliquot exemplis res omnibus patebit: »cum transactionem oratio improbat, quae idcirco fit, ut quis repraesentatam pecuniam consumat" (7): – hanc ob rem de praedio in alimenta legato »non licet transigere sine Praetore" (8): – argentarii cogantur reddere rationes »quia officium eorum et ministerium publicam

---

(1) Sat *Traité* T. I. p. 159, sq. (2) *Κοινωφελὲς* cf. GOTH. ad l. mox l. (3) L. 38. D. *de pactis*. Add. l. 42. eod., l. 3. pr. D. *de transact.*, l. 20. pr. D. *de religiosis*, l. 1. § 9. D. *de magistr. conv.*, l. 45. § 1. D. *de reg. jur.*, l. 27. D. *de reb. cred.* et l. 3. C. *de primipilo*. (4) L. 7. § 1. D. *quod cujusque univ.* (5) L. 6. D. *de div. rer.* Add. l. 1. § 2. D. *si pars hered. pet.* (6) L. 53. § 3. D. *fam. ercisc.* (7) L. 8. § 6. D. *de transact.* (8) L. 15. eod.

habet causam" (1): – »curare debet [Praefectus urbi] ut nummularii probe se gerant circa omne negotium suum, ut temperent his quae sunt prohibita" (2): ad eundem pertinet »cura carnis omnis, ut *justo* pretio praebeatur" (3): – alea, ceterique ludi prohibentur »defectu justitiae" (4): – »causa possessionis habetur publica" (5): »bono publico usucapio introducta est, ne scilicet quarumdam rerum diu et fere semper incerta dominia essent" (6): et imprimis haec JUSTINIANI verba (7): »expedit Reip. ne sua re quis male utatur." — Multa sane probaque argumenta, sortis privatorum curam publicam apud Romanos haud fuisse contemnendam; et JCtos qui haec referunt, talium legum rationes bene perspexisse.

Has autem tres praecipuas fuisse affirmare ausim: prima nimirum eaque ab Oeconomis recentioribus, ut vidimus, recepta: quod sors nationis composita est ex sortibus privatorum omnium (cui accedunt ea quae publica sunt et ad singulos pertinere dici nequeunt (8); illudque principium a JCtis Rom. quoque propugnabatur:.... »aut quorum commercium non sit, ut publica, quae non in pecunia populi, sed in publico usu habeantur" (9); ubi, quo etiam argumento pro nostra sententia uti licet, *pecunia populi* dicitur pro *pecunia*, id est re familiari, sorte, *singulorum*.); omnium igitur interesse, ut bene hae et curentur et administrentur: huc praeter locos jam citatos, odium in prodigos refer, leges contra

(1) L. 10. § 1. D. *de edendo.* Cf. Nov. 136. et Edict. Just. 7. C. 4. (2) L. 1. § 9. D. *de magistr. conv.*, l. 2. D. *de off. Praef. urb.* (3) L. 1. § 11. D. *de off. Praef. urb.* (4) L. 1. pr. D. *de aleat.* (5) L. 27. § 4. D. *de pactis.* (6) L. 1. D. *de usurpat.* (7) § 2. Inst. *de his qui sui vel al. jur. s.* (8) SAY l. l. T. I. p. 29. (9) L. 6. pr. D. *de contr. emt.*

luxuriam, cet.: ut dein fusius explicabimus. Altera ratio, cur sortem omnium salvam esse utile rebantur, erat, ut civium numerus augeretur: »Reip. interest, mulieres dotes salvas habere, propter quas nubere possunt" (1): »publice interest, dotes mulieribus conservari; cum dotatas esse feminas, ad sobolem procreandam replendamque liberis civitatem, maxime sit necessarium" (2). Ut hoc attingerent, plures constitutae sunt leges, multique Digestorum loci id testantur (3); et hinc crebae illae manumissionum rationes et libertatis privilegia: »ampliandam enim civitatem nostram magis quam minuendam esse censemus" (4). Quamvis autem nunc Oeconomiae doctoribus tales leges minime necessariae videntur (5), et populi numerus, secundum eorum sententiam, augetur et minuitur ratione bonorum productorum (6), tamen et olim recepta erat haec, quae Romanorum quoque JCtorum erat opinio, et quod ad servos manumittendos sine dubio probanda. Tertiam adde rationem sortes curandi, ut scilicet majora solverentur tributa: »Reip. utile est, idoneos esse debitores" (7): »fundos recte colant, quo magis et uberior exinde provectus ad praediorum dominos deferatur, et per ipsos ad fiscum" (8); cujus regulae veritas apparebit, cum de publicis reditibus sermo erit.

---

(1) L. 2. D. *de jure dot.* (2) L. 1. D. *sol. matr.* (3) V. g. l. 15. § 2, l. 17. § 2. D. *de adopt.* (4) L. 2. C. *comm. de manum.* (5) Say l. l. T. II. p. 361. (6) Id. T. II. p. 357–361. (7) L. 2. C. *de debit. civit.* (8) Nov. 144. C. 2.

CAPUT PRIMUM.

DE PECUNIA.

De pecunia. Origo pecuniae numeratae; ejus usus, materia, publica auctoritas; pecunia non tantum mensura est mercium, sed ipsa quoque merx est; pecuniae aestimatio mutatur ipso temporis lapsu; varia est in variis regionibus; usu teritur; differt ex specie metalli: mixtura metallorum: cusio monetae. — De surrogatis pecuniae, sive de iis quae pro pecunia valent: delegatio, nominum emtio venditio; pecunia trajectitia; argentarii, nummularii; eorum rationes; foeneratitiae cautiones.

»Origo emendi vendendique a permutationibus coepit; olim enim non ita erat nummus; neque aliud merx, alind pretium vocabatur: sed unusquisque, secundum necessitatem temporum ac rerum, utilia inutilibus permutabat; quando [i. e. quandoquidem] plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego desiderarem, in vicem haberem quod tu accipere velles, electa materia est, cujus publica ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis sub-

veniret: eaque materia forma publica percussa usum dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex quantitate; nec ultra *merx* utrumque, sed alterum *pretium* vocabatur" (1).

Nec brevius nec verius JCtorum Romanorum opinionem de origine pecuniae, ejus usu, materia, et publica auctoritate referre potui, quam fecit PAULUS l. l.: interpretatione mea de nativa sua simplicitate multum perdent verba, deque pulchri sensu in iis obvio plurimum detrahetur; attamen quo magis pateat, omnia quae dicit, non tantum per se pulchra sed insuper recentiorum hac de re sententiae (2) plane congrua esse, hanc convenientiam paucis explicabo.

Olim, inquit, *non ità erat nummus:* cum enim rudes magis erant homines neque in societatem collecti, ignorabant usum alicujus materiae quae certam inter diversas merces constituebat rationem. Tunc temporis, quicunque aliqua re egebat quam alter haberet, huic aliquid de suo offerebat quod ipse ex agri cultu perceperat vel opera manuum confecerat, ut in vicem acciperet rem sibi magis necessariam; dabat igitur quod eo tempore ipsi erat inutile, - *inutile,* vel quia copiam hujus rei habebat, vel quod ipse ea uti non poterat, - ut acciperet id quod sibi *utile,* id est magis commodum esset: in societate enim minus perfecta saepius evenit ut cum paucis rebus indigeant, alter abundet quo alter egeat, v. c. agricola cum pecuario facile suas res permutat. At quo magis homines in unum locum congregabantur, eo magis fiebat, ut cum quis unum tantum vel alterum mercium genus

(1) L. 1. pr. D. *de contr. emt.* (2) Cf. imprimis SAY *Traité* T. II. p. 1, 3, 7, 10, cet.

haberet vel conficeret, hae ipsae merces non convenirent ei cujus re ipse insuper indigebat; et tamen quo fiebant homines cultiores, eo pluribus et eo plurium hominum rebus egebat aliquis, quibus itidem hujus illiusve industriae productis non statim opus erat; hinc accidit, ut vel plus de suo dare deberet quam quidem vellet, quo alteri persuaderet id cum sua merce permutare; vel ut ab alio quodam mercem sibi non necessariam sed alteri cujus re indigebat magis commodam adsisceret, quo posset rursus facilius sibi procurare rem quam volebat. — Id diu ita mansit, donec quis, summa necessitate coactus, rem quo huc usque ornamenti forte loco usus erat (1), offerret ei, qui frumentum vel ovem ipsi ejus vice dare poterat, bene sciens tale monile ipsi pergratum fore. Sic, lapsu temporis usu venit ut materiam illam unde haec ornamenta confici possent sibi invicem pro mercibus traderent; videbant enim omnibus eam aeque gratam esse, ejusque omnibus convenientem, *publicam*, et semper eandem, *perpetuam*, esse aestimationem; adeo ut pro certa hujus materiae quantitate semper fere idem pondus, idemve numerus alius cujusdam mercis daretur; et ita *difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis* subveniretur. Tandem cum difficilius esse viderent illam materiam ponderari, idque diutius emtores venditoresque moraretur, hoc a magistratu fiebat et certo ejus ponderi imprimebatur forma quaedam publica quae notabat illud pondus et valorem; ipsa autem nummorum cudendorum ratio, ut semper, paulatim fiebat simplicior, et ipse nummus ad usum facilior. Ab eo autem inde tempore, addit

(1) Uti dein quoque antiquissimis et obsoletis nummis argenteis aureisque pro gemmis saepius utebantur. Cf. l. 28. D. *de usufr. et qu.*

PAULUS, hic nummus »usum et dominium non tam ex substantia praebet quam ex quantitate" (1); id est: tunc non amplius adeo respiciebatur ipsa substantiae sive materiae indoles, quam quidem quantitas, quae necessaria erat ad hoc illudve emendum; - quam quidem igitur valor, qui ab hominibus certae nummorum quantitati tribuebatur, et qui notabat multitudinem mercium ea emendarum. - »Nec ultra," ita finem huic praestantissimo loco apposuit JCtus, »*merx* utrumque sed alterum *pretium* vocatur:" simulac quaedam adinventa erat merx, quae publica auctoritate confirmata, rationem exprimebat quae inter ceteras merces existit, haec merx non amplius *merx* dicta est, sed *pretium*. Nota PAULI acumen, non dicentis materiam illam, eo quod *pretium* fiebat mercium, non amplius *esse* mercem, sed non *vocari;* quae veritas oeconomica: pecuniam, quamvis ratio s. mensura sit qua ceterae merces aestimantur, ipsam tamen etiam esse mercem, - ut saepius est impugnata (2), sic in lucem restituta est et ab aliis et imprimis a Cl. SAY (3). JCtos autem

---

(1) Sic legendum est, ut patet ex superioribus *acqualitate quantitatis:* quantitas enim nummorum quae sufficeret ad mercem aliquam emendam, secundum omnium hominum opinionem par et eadem erat. Si cum BUDAEO legeres *qualitate*, revera sibi obloqueretur PAULUS; *qualitas* enim sine *substantia* cogitari nequit: hîc autem alterum alteri opponitur: — neque haec difficultas tollitur explicatione FERRANDI: ut quo major sit ejus qualitaa, eo majorem usum praebeat. Sed in eo lapsi sunt, qui vulgarem lect. defendunt, quod nimis distinguunt duas vocis *quantitas* notiones, quae hoc loco conjungendae sunt, scil. est tam quantitas ponderis vel numeri, quam quantitas valoris qui eo numero vel pondere exprimitur; qui valor apparet ex mercium multitudine quam eo emere possis. Add. l. 94. § 1. D. *de solut.* (2) SAY *Traité* T. II. p. 80, 85, 87. (3) l. l. p. 78, sqq. Libro II. Cap. XXVII.

Romanos idem animadvertisse, tum ex hoc loco apparet tum ex aliis multis, ex quibus unum alterumve describam: »ideo in arbitrium judicis defertur haec actio, quia scimus quam varia sint pretia rerum per singulas civitates regionesque: maxime vini, olei, frumenti, pecuniarum quoque" (1). Hic enim pecuniae eadem esse ratio dicitur ac olei, frumenti, cet. Neque igitur quod ad ipsam rerum primariam notionem errabant SABINUS et CASSIUS, permutationem dicentes esse eandem ac emtionem venditionem (2); sed juridico sensu fallebant, quoniam ex diverso contractu diversae oriebantur praestationes (3); et eo sensu ibi additur: »nec ratio patitur [scil. jurídica], ut una eademque res et veneat et pretium sit emptionis."

Revera igitur pecunia est merx; nec tantum mensura s. ratio qua ceterae merces aestimantur; neque etiam sufficit huic negotio ejus natura: quamvis enim perpetua dicta fuerit ejus aestimatio a PAULO (4), hoc notat tantum *et* primis illis in societatem collectis hominibus perpetuam visam fuisse, *et* non tam cito, nec improviso eam mutari: mutari autem pecuniae valorem temporis lapsu, eumque differre ratione metallorum diversorum invicem, unde fiunt nummi, et ratione mercium quas pro certa quantitate acquiras, et ratione regionum ubi utuntur pecuniâ, multi loci docent, quibus aliquamdiu immorari necesse est.

Primum igitur probandum est, ipso temporis lapsu pecuniae valorem augeri vel minui (5). Hoc intellexerunt JCti, quum dicebant; »thesaurus... non est, si aliquis

(1) L. 3. D. *de eo quod certo loco.* Add. l. 3. § 3 et 4. (invicem coll.) D. *de act. emt.* (2) L. 1. § 2. D. *de contr. emt.*; l. 1. pr. D. *de rer. permut.*; § 2. Inst. *de emt. vend.* (3) Cf. l. 1. 1. D. *de rer. permut.* (4) l. l. 1. § 1. D. *de contr. emt.*, cui add. l. 3. D. *de in litem jur.* (5) SAY *Traité* T. II. p. 84.

luceri causa condiderit sub terra" (1): quis enim terra tegeret nummos suos, ut lucrum faceret, nisi qui exspectaret, temporis lapsu fore ut valor nummorum augeretur; — ut bene viderunt interpretes.

Sed praeterea haec valoris mutatio spectatur ex diversa ratione quam habent inter se varia metallorum genera e quibus pecunia fit (2). Haec fuerunt apud Romanos aes, argentum, et aurum (3). Notum est et saepius repetitum, quantum aeris valor mutatus est prioribus urbis Rom. cond. temporibus: hoc igitur mitto; quaedam autem minus vulgata et explicata ex ipso juris corpore exempla afferam.

Ex duobus locis Codicis Theodosiani et Justinianei collatis (4) patet hanc rationem (sive proportionem, ut barbare dicitur) aeris et auri aliam fuisse tempore ARCADII et HONORII, aliam tempore JUSTINIANI; in argento quoque exstitisse differentiam. Priori scilicet tempore pro 25 libris aeris unus auri solidus dabatur; sequenti pro 20 libris unus aureus. Sic argenti et auri proportio erat ea, ut pro singulis pondo argenti, quinos solidos aureos dare permiserit JUSTINIANUS (5); quae eadem fuit sub ARCADIO (6), sed sub hujus filio mutata, adeo ut quatuor tantum darentur (7); cujus differentiae ratio vel in improvisa auri raritate esse potuit (forte ex pensionibus barbaris solutis), vel in mutata quantitate argenteorum nummorum qui

---

(1) L. 31. § 1. D. *de acq. r. dom.* (2) Quae veritas a SAY explicatur op. l. T. II. p. 38, sqq. (3) Hinc »triumviri monetales, aeris, argenti, auri flatores" dicuntur: l. 2. § 30. D. *de or. jur.*, et l. 9. § 2. D. *ad l. Corn. de fals.* statuitur in eos, qui plumbeos facerent nummos. (4) L. 2, 3. C. Th. *de collat. aeris*, et l. un. C. Just. eod. (5) L. un. C. *de arg. pret.* (6) L. un. C. Th. eod. (7) Cf. l. 27. C. Th. *de cohortal.*

pondo efficerent (1). Quum vero auri pondo ex 72 solidis constiterit (2), et 5 solidi darentur pro pondo argenti; hinc sequitur uni auri pondo respondere 14 argenti pondo et fere dimidium (3): sin autem 4 dantur aurei pro pondo argenti, ratio est ut 1 : 18. Ex his sequitur 1°. quaenam fuerit ratio *aëris* et *argenti*, cum 5 aurei dantur pro uno pondo argenti, et 25 librae aeris pro uno aureo nummo; scil. unum pondo argenti aequale esse 125 libris aeris (4). 2°. Quaenam fuerit ratio *aeris* et *argenti*, cum 20 tantum librae aeris pro uno nummo aureo dantur; et haec erit 100 (5). Tandem 3°. ratio *auri* et *aeris*, cum 4 solidi aurei dantur pro uno pondo argenti, et 125 librae aeris pro uno pondo argenti. Tum librae aeris 2250 similes erunt uni auri pondo (6). Sed haec jam satis diversam illam rationem s. proportionem horum metallorum probant, quam a veteribus fuisse animadversam, monuisse sufficit (7);

(1) Cf. GOTH. ad l. un. l.; qui monet, ex l. 1. Cod. Th. *de expens. lud.* pondus argenti modo in 60, modo in pauciores, modo in plures fuisse divisum. (2) L. 5. C. *de suscept. praep.*

(3) 1 pondo auri = 72 solidis s. nummis aureis.
1 pondo argenti = 5 aureis.
$5 : 72 = 1 : x\ (: 14\frac{2}{5})$.

(4) 1 pondo auri = 72 nummis aureis.
1 pondo argenti = 5 nummis aureis.
1 pondo auri = 1800 libris aeris.
$72 : 5 = 1800 : x\ (: 125)$.

(5) 1 pondo auri = 72 nummis aureis.
1 pondo argenti = 5 aureis nummis.
1 pondo auri = 1440 libris aeris.
$72 : 5 = 1440 : x\ (: 100)$.

(6) 1 pondo argenti = 4 aureis nummis.
1 pondo argenti = 125 libris aeris.
1 pondo auri = 72 nummis aureis.
$4 : 125 = 72 : x\ (: 2250)$.

(7) Cf. quoque MOLINAEI *Tractatus contractuum et usurarum, redituumque pecunia constitutorum*, § 782. Opp. T. II. p. 1743.

leges autem, quibus hanc definire conabantur, non diu stetisse, ex allatis apparet; et revera erant temporariae tantum: neque igitur statim Romani imperitiae accusandi sunt (1); quae tamen iis cum cunctis fere omnis aevi imperantibus foret communis.

Tertio: uno eodemque tempore potest in variis regionibus differre pecuniae ratio; quae differentia vel in ipsis nummis vel in eorum valore sita esse potest: - in ipsis nummis, si ut in Imperio Rom. in variis regionibus varii erant; ut patet ex hoc loco: »si *numerus nummorum* legatus est, neque apparet quales sunt legati, ante omnia ipsius patrisfam. consuetudo, deinde regionis in qua versatus est, exquirenda est" (2); - in ipso vero valore metalli, si hoc differebat; ut ex seq. patet: »si quis argentum donaverit, certumque pondus nominaverit, non autem alias vel generaliter vel specialiter expresserit: necessitatem ei imponimus, omnimodo praefatum pondus argenti dare; sive in vasis quibus voluerit, non tamen *pejoribus aestimatione massae*, sive in ipsa aestimatione quae pro massa rudi in illis locis frequentata est (3).

Ex his satis liquet, non fieri posse, ut pecunia variis temporibus et locis *certa* sit ratio valoris mercium universe: etenim »pro imminutione quae in aestimatione solidi forte tractatur, omnium quoque pretia specierum decrescere oportet" (4); id est, quando nummorum valor minuitur, valor mercium quas pro *ea pecuniae summa* accipis erit minor: — attamen etiamsi pecunia non per-

(1) Ut SAY facit, l. l. T. II. p. 39. (2) L. 50. § 3. D. *de leg. I.* Add. l. 75. D. *de leg. III*, l. 21. § 1. D. *qui test. fac. poss.* (3) L. 35. pr. C. *de donat.* (4) L. 2. C. *de vet. num. pot.*

fecta sit mercium aliarum mensura, multo tamen aptior ei est quam plurimae aliae merces, et certe nulla merx est, quae certam et perpetuam ipsius pecuniae aestimationem notat (1).

Pauca jam addenda sunt, unde patet materiam ipsam nummorum talem esse, ut sine ulla alia causa tamen iidem nummi a priori eorum valore multum amittant; nimirum ipso usu nummos teri (2). Hoc tam bene perceperant Romani, ut veteres nummos nollent amplius recipere pro pleno eorum pristino valore; adeo ut necesse fuerit VALENTINIANO constituere, ut numismata priorum Principum imagine cusa eodem pretio constarent, quo olim; si scil. vitium ponderis non ita magnum esset, et species proba (3). Sic jubet JUSTINIANUS mercatores aliosque in solutionem accipere nummos a veteribus Imperatoribus cusos, et pro permutatione eorum nummorum dispendium detrahere prohibet (4). At ipsum locum apponam, quoniam ex eo apparet quoque, quanta fuerit differentia inter veteres et recentiores nummos: »cum autem scimus veterum Romanorum Principum solidos per illa loca facile inveniri, comperimus autem negotiatores vel alios quosdam propter mutationem solidorum [i. e. propter novos solidos meo vel recentiorum Principum imagine cusos, quosque ideo potiores habent] dispendium [*agio*, *opgeld*] aliquod collatoribus nostris inferre: sancimus solidos Romanorum Principum forma signatos, sine permutationis dispendio per omnes provincias ambulare, et per eos celebrari contrac-

(1) L. 42. D. *de fidejuss.*, SAY l. l. T. II. p. 91. — Quae autem SAY proponit de frumento, mensura valoris, T. II. p. 95, sqq., non nisi cautissime adhibenda sunt, nec semper sufficiunt. (2) SAY l. l. T. II. p. 114, sq. (3) L. 1. C. *de vet. num. pot.* (4) Sanct. Pragm. C. 20.

tus: eum qui dispendium aliquod permutationi solidorum inferre praesumserit, pro unoquoque solido alterum tantum ei cum quo contraxerit, inferat." Sine dubio autem alia ratione fraudaverunt legem illi (et hinc saepius repetitum illud jussum (1)); neque enim potest homines cogere summus Imperans, ut plus mercium dent pro pecunia, quam velint (2). Ceterum creditor juberi nequit aliam formam nummorum recipere quam ipse dederit, »si ex ea re damnum aliquod passurus est" (3).

Tandem varia potest quoque esse nummorum et universe metallorum unde fiunt nummi aestimatio, ex diversa auri, argentive specie ejusque bonitate. Variae enim sunt species auri (4) et argenti (5); eaque distinctio tam in massa argenti quam in pecunia observanda est (6): sic »cui certum pondus argenti dare heres jussus est, ei pecuniam numeratam dando, jure ipso liberatur, si in ea pecunia eadem aestimatio fuerit; quod ita verum est, si non *certum genus* argenti legatum sit" (7). Hinc »quotiens de qualitate solidorum orta fuerit dubitatio, placet, quem sermo Graecus Zygostatem [*Waradin*, *Essayeur*] appellat, per singulas civitates constitutum, qui pro sua fide atque industria neque fallat neque fallatur, contentionem dirimere" (8). Plerumque autem diversitas haec speciei oritur ex mixtura duorum metallorum inter se; quam bene norant Romani, ut patet ex his locis: »argentum plumbo mixtum:... aes auro:... utraque materia manet, etsi confusa" (9); »quia cum diversae materiae

---

(1) Ut dein a NICEPHORO PHOCA, Const. I. (2) Cf. SAY T. II. p. 81. (3) L. 99. D. *de solut.*, ibique interpp. (4) L. 10. D. *de contr. emt.* (5) L. 26. D. *praescr. verb.* (6) L. 3, l. 4. D. *de rei vind.* (7) L. 1. § 1. D. *de aur. arg.* Add. l. 9, l. 19. § 1. eod. (8) L. 2. C. *de ponderator.* (9) L. 5. § 1. D. *de rei vind.*

aes atque argentum sit, ab artificibus separari et in pristinam materiam reduci solet" (1): »uxori aurum legatum est quod ejus causa comparatum est et postea conflatum: materia tamen eadem mansit;... debetur" (2).

Haec autem metallorum natura, qua saepius conflari possunt, neque tamen eorum valor quidquam diminuitur, sine dubio in causis fuit cur iis potius uterentur nationes ad pecuniam. Romani JCti id viderant: »illud fortasse quaesiturus sit aliquis, cur *argenti* nomine etiam *factum* argentum comprehendatur? cujus" inquit sub PAULI persona TRIBONIANUS »haec ratio traditur: quippe ea quae talis naturae sint, nt saepius in sua redigi possint initia, ea materiae potentia victa, numquam vires ejus effugiant" (3). Et hac ejus natura interdum utebantur Romani, ut eas differentias ex pecuniae qualitate et contritione ortas tollerent; videntes enim nihil valoris ita perdi, nisi ipsius cusionis (4), solidos aureos in massam aliquando redigebant, et dein novos ex ea cudebant (5); qua ex re tum damnum cepisse videtur Imperans, tum vero lucrum: saltem prohibuit HONORIUS quominus privati id facerent (6), ne scil. fraudandi occasionem hinc arriperent.

De re monetaria quaenam fuerit Romanorum sententia, ex his patet (7). Fuit iis, quod etiam a recentioribus probatur (8), pecuniae cudendae potestas penes solum Imperantem: »in monetis enim tantummodo nostris cudendae pecuniae studium frequentari volumus" (9); in

---

(1) L. 12. § 1. D. *de acq. r. dom.* (2) L. 49. § 5. *de leg. III.* (3) L. 78. § 4. *de leg. III.* (4) Cf. SAY T. II. p. 30. (5) L. 12, 13. C. Th. *de suscept.* l. 5. C. Just. eod. (6) Argum. l. un. C. *de auri publ. persec.* (7) Add. J. C. NOVISADI (CHR. SAXII) diss. *de jure rei monetariae apud Batavos*, p. 2-7. (8) SAY T. II. p. 105. (9) L. 2. C. *de fals. mon.*



quibus illud perficiebatur a monetariis, hominum collegio in hunc usum constituto (1); et acerrimae erant poenae in illos qui nummos vel adulterinos flare vel vitii quid iis addere auderent (2), praemiumque accusatoribus propositum (3); quique reprobos nummos solvebat creditori, solvisse non videbatur (4). Ipsa autem metalla petebantur vel ex metallifodinis publicis vel ex privatis: nam certa pars (in quibusdam provinciis 14ª pars ballucae, s. arenae auriferae (5)) auri et argenti a privatis effossi debebatur canonis nomine fisco: et in reliqua parte emenda, fiscus praeferebatur reliquis (6). Impensas pecuniae cudendae videntur privati tulisse; sed crescente auri pretio saepius colligebantur veteres nummi, et novi inde cudebantur, quorum internus valor certe non auctus est (7). Ex dictis autem non sequitur, nimis multum pecuniae cusum fuisse, eamque abundasse: cum contrarium ex eo potius appareat, quod saepe legimus, quosdam, pecuniam cusam non habentes, massam auri argentique vel ornamenta mutuo dedisse, et aliis sub usuris credidisse (8). Ceterum multum cavit JUSTINIANUS ne Aegyptiacum obryzum pro auro daretur (9).

Haec jam sufficiant de nummis signatis, deque Romanorum tam JCtorum quam Imperatorum super hoc argumento sententia: jam videamus, utrum etiam iis notum

---

(1) L. 1, l. 7, l. 13. C. *de murileg.* (2) L. 1, l. 8. D. *ad l. Corn. de fals.*, l. 53. D. *de judic.* (3) L. 2. C. *de fals. mon.* l. 2. C. *pro quib. caus. serv.* (4) L. 24. § 1. D. *de pign. act.* (5) L. 2. C. *de metallar.* (6) L. 1. C. eod. (7) Argum. ll. ll. 12, 13. C. Th. *de suscept.* (8) L. 27. D. *de pign. act.* l. 3, l. 4, pr. D. *mand.*, l. 19. D. *de praescr. verb.*, l. 19. § 2. D. *de furt.* (9) Edict. 11. C. 1, 3.

fuerit, pecuniae loco alias diversae materiae res substituere, quod recentiori tempore tantopere invaluit.

Talium rerum (quas pecuniae surrogata dicere possis), quamvis aliquatenus certe iis cognitae fuerint, vulgarem tamen usum non fuisse statim apparet: causas rei simul explicare conabor. Primaria causa rationes exteras magis quam ipsos Romanos spectat, credo: exteri, saepe amici et socii (ut quidem dicebantur), saepe subjecti Romanorum potestati, non facile videntur aliud quid pro pecunia accipere voluisse; metuebant enim, ut bello exorto vel discordiis civilibus, nullam reciperent eorum nominum aestimationem, quae in solutum acceperant: et merces suas non nisi cum auro argentove permutare voluerunt; quoniam haec metalla, certum in se habentia valorem qui ubique acciperetur (1), eos magis periculo reddebat immunes. Arcte autem, non negandum est, haec causa conjuncta est cum civitatis Romanae conditione, quae magis domina ceterarum quam amica erat. Quidquid sit, pecuniae surrogatis minus in commercio cum aliis populis usi sunt quam in permutationibus et emtt. venditionibus inter se, quamvis etiam in alia provincia alter degerit. Hoc ex multis locis potest probari. Quod ad ipsam notionem, aliquid quod non est ipsa pecunia, pro pecunia accipiendi illudque pecuniae numeratae loco transferendi in alium qui suo nomine id recipiet a priori debitore: - ea, inquam, notio inest ipsi q. d. delegationi: etenim »delegare est vice sua alium reum dare creditori vel *cui jusserit* [quod plane convenit nostro *of ordre*]" (2), ipsaque delegatione, uti solutione, alienamus rem nos-

(1) Ut docet SAY T. II. p. 78, sq. (2) L. 11. D. *de novat. et deleg.*

tram familiarem (1); et »absurdum" est, »ei cui alienatio interdicitur permitti actiones exercere" (2). Insuper autem illa quam dicebam notio exprimitur nominum sive actionum (3) emtione vend.: »nominibus in dotem datis, quamvis nec delegatio praecesserit, nec litis contestatio subsecuta sit, utilem tamen marito actionem, ad similitudinem ejus qui nomen emerit, dari oportere, saepe rescriptum est" (4); neque enim necesse est, ut ea nominum venditio locum habeat inter notas sibi personas: contra »nomina eorum qui... in diem debent, et emere et vendere solemus: ea enim res est, quae emi et vendi potest" (5); »nominis venditio etiam ignorante vel invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrahi solet" (6); nec igitur numerus personarum definitus est: »quod si is cui pecunia debeatur, cum debitore decidit, et nomen ejus vendidit Sejo, cui debitor mandaverat ut nomen emeret," cet. (7); modo universe sciant, hunc vel illum esse solvendo, bonisque uti fidejussoribus (quod tamen non opus erat praestare (8), ut ne hodie quidem), ne si ipsa egeant pecunia eam accipere nequeant. Hinc, ut ait JCtus: »nec enim semper facilis est nominis emtio, cum numeratio totius debiti non sit in expedito" (9), et saepe sine dubio tale nomen pro minori pretio venditum

---

(1) L. 15. D. *de solut.* (2) L. 7. § 2. D. *de jure delib.* (3) Bene distinguenda a litium redemtione, quae saepe actionum cessio vocatur. Cf. l. 22, l. 23. C. *mandat.:* haec magis convenit cum illa mercaturae specie quae dicitur *commerce de spéculation*, de qua cf. SAY T. I. p. 96. (4) L. 2. C. *de obl. et act.* (5) L. 17. D. *de hered. vel act. vend.* Add. l. 19 eod. (6) L. 3. C. *de her. v. act. vend.*, l. 1. C. *de novat.* (7) L. 4. § 6. D. *de doli m. et met. except.* (8) L. 35. D. *de reb. cred.* (9) L. 10. pr. D. *de fidej.* Add. l. 36 eod.

est (1), periculi ratione, vel temporis spatio quo dies non adhuc cesserat (2). Sed ut magis etiam hodierno usui convenientia memorem, de iis locis agam, unde patet etiam varias inter civitates et regiones talem nominum permutationem et solutionem (plane similem litteris cambialibus) locum habuisse. Sic dicitur: »nam si pacti sumus ut tu a meo debitore Carthagine exigas, ego a tuo Romae," cet. (3), »si in Asia depositum fuerit, ut Romae reddatur," cet. (4), »instrumenta Romae reperierunt debitorum provincialium, ut pecunia Romae aut ubicunque petitum fuerit, solvatur" (5), cet.; atque, ut etiam exemplum addam negantis nomen solvere (6): »si filiusfam., absente patre, quasi ex mandato ejus pecuniam acceperit, cavisset, et ad patrem literas emisit ut eam pecuniam in provinciam solveret; debet pater, si actum filii sui improbat, continuo testationem interponere contrariae voluntatis" (7). - Haec jam de nominibus sufficiant: hoc unum tamen adjiciam, saepe fieri ut in talibus nominum permutationibus et delegationibus non recte possis singulas singularum personarum actiones accurate distinguere propter celeritatem qua sibi succedant; idque notari hac lege: »nam et si donatio jure civili non impediretur, eum rei gestae ordinem futurum, ut pecunia ad te a debitore tuo, deinde a te ad mulierem perveniret: nam celeritate conjungendarum inter se actionum, unam actionem oc-

---

(1) Saltem nolens non cogi poterat quis in solutum accipere nomen debitoris. Cf. l. 16. C. *de solut.* (2) Confer quae de cambio dicit SAY T. II. p. 124. (3) L. 5. § 4. D. *de praescr. verb.* (4) L. 12. pr. D. *depos.* (5) L. 47. § 2. D. *de adm. et per. tutt.* (6) *Protest d'une lettre de change.* Cf. a. 173, 174. C. Merc. Fr., a. 175, sqq. Cod. Merc. Neerl. (7) L. 16. D. *de Scto Maced.*

cultari: ceterum debitorem creditori dare, creditorem uxori; nec novum aut mirum esse, quod per alium accipias, te accipere" (1). Ceterum praeterea multi in Codice loci sunt, qui conferri merentur (2), quos hic exponere non lubet; neque enim in proposito meo est, ut notem *quantum* in his sit, quod cum litteris cambialibus conveniat (3); sed tantum ut monstrem, non pecunia numerata semper, sed saepissime ejus loco aliis surrogatis usos fuisse Romanos, quae quamvis nullum internum valorem haberent, tamen pro pecunia accipiebantur et in solutum dabantur, imo multum interdum erant usui faciliora.

Neque tamen semper politicis e civitatum conditione petitis rationibus adscribendum est, Romanos interdum ipsam pecuniam numeratam in suis mercium permutationibus ceteroque cum exteris commercio adhibuisse: saepius enim ea quae hodie quoque in variis regionibus causa et necessitas est, pecuniam ipsam transmittendi, ipsis accidebat, scil. ut vel egerent productis quae huc mittenda essent, vel defuerint eo tempore nomina quae posses pecuniae loco remittere (4): interdum quoque id conventum esse poterat, ut pecunia ipsa transmitteretur, v. c. » quid enim si trajectitiam pecuniam dederit, Ephesi recepturus, ubi sub poena debebat pecuniam vel sub

(1) L. 3. § 12. D. *de don. int. vir. et ux.* Add. l. 15. D. *de reb. cred.* (2) V. c. l. 9. C. *de hered. v. act. vend.*, l. 18. C. *de legat.*, l. 4. C. *quae res pign.*, l. 1. C. *de praet. pign.* (3) Id jam alii fecerunt: cf. v. g. G. H. AYRER, diss. I. *de cambialis instituti notione apud Romanos*, edit. ab J. H. JUNGIO in AYRERI *Opusc.* T. I. p. 1. Gotting. 1746, adjecta quoque HEINECCII op. *Grondbeginsele van het wisselrecht;* Belg. vers., edit. et auct. a K. K. REITZ. Mediob. 1774. (4) SAY T. II. p. 123.

pignoribus" (1); forte quia ejus aestimatio major ibi esset quam eo loci ubi erat debitor, vel quod ipsa egeret creditor, ut rursus ab aliis emeret (2), vel ut debitum solvere posset pecuniarium (3): – sic explica usum pecuniae trajectitiae (4). Ut autem damnum quod ex pecuniae transmissae interitu (5) oriretur, tollerent, saepe mercium transvehendarum partem pignori accipiebant (6).

Praeter nominum personalium emt. venditionem et delegationem, alio utebantur Romani remedio quo, non numerantes pecuniam, tamen solvebant, scil. remittendo creditoribus suis chirographum in hunc vel illum argentarium apud quem vel pecunias habebant depositas vel qui ipsis fidebat.

Hoc explicaturus, necesse est ut paucissima praemittam de ipsis argentariis deque eorum mutua ratione, tam cum singulis civibus, quam cum civitate ipsa; ut hinc pateat qualis horum sit similitudo cum nostris et pecuniarum depositariis (*Cassiers*), et publicis institutis quae *Banken* dicuntur. Ceterum, ne scripta rescriberem (7), eorum personam et negotia non tangam nisi quantum ad nostrum argumentum pertinent.

Argentarii munus olim praesertim versabatur circa pecuniam numeratam, ut eorum nomen argentariorum et

---

(1) L. 2. § 8. D. *de eo quod certo loco*. (2) L. 8. § 6, cet. D. *de transact.*, l. 50, l. 52. D. *de judic.* (3) L. 4. D. *de reb. cred.* (4) Add. l. 8, l. 10. D. *de eo q. cert. l.*, l. 35. pr. *de hered. inst.* (5) L. 58. § 1. D. *pro soc.*, l. 35. pr. D. *de hered. inst.* (6) Cf. D. Tit. *de naut. foen.* (impr. l. 6.) et C. *de pecun. traj.* Add. Nov. 106, 110. (7) Cff. dissertt. duae HERMANNI HUBERT, *de argentariis veterum*. Traj. ad Rhen. 1739, 1740. Add. notissimus CUJACII locus *Obs.* L. X. C. 14, et ad Nov. 136.

nummulariorum (1) indicat. Apud Romanos, ubi jam vidimus talis pecuniae et magnam copiam et maxime diversam fuisse, saepius quoque ex aliis civitatibus receptam, necesse erat ut qui certus esse volebat de nummorum qualitate et aestimatione, eum adiret qui hanc scientiam profiteretur, quique peregrinam pecuniam vel usu tritam vel obsoletam cum bonis probisque nummis vellet commutare, ut parvis usuris, permutationis pretio, solutis, securi essent de iis quae accipiebant. Tale institutum publicum, quale recentiores populi saepe habuerunt (2), cum non erat Romae (neque propter ipsorum argentariorum personas requirebatur), facile intelligitur quanti momenti erant hi in civitate viri; apud quos cum et venditores et emptores haud raro negotia sua tractabant, non inconsulto dicitur »officium eorum et ministerium publicam habere causam" (3).

Nec mirum, magnum eorum exstitisse numerum (4), qui vel soli vel in societatem collecti (5), vel ipsi vel per filium aut servum (6) aut libertum (7), vel ipsi et per servos (8), hoc munus exercebant. Mensas (9) vel taber-

---

(1) Proprie distincti erant nummularii ab argentariis, ita ut hi multo majoris essent momenti, penes quos varios contractus inibant; nummularii tantum pecuniam depositam apud se habebant, vel credito acceptam. Cf. l. 9. § 2. D. *de edendo:* sed ex dein citandis locis apparebit, plurima hîc exponenda ad utrumque genus pertinere. (2) *Banques de dépôts.* Cf. SAY T. II. p. 127, sq. (3) L. 10. § 1. D. *de edendo.* (4) »Frequentissimus ordo foeneratorum'' dicitur in l. 8. C. *qui bonis ced. poss.* (5) Cf. l. 34. D. *de recept. qui arb.*, l. 6. § 1. D. *de edendo*, l. 25. pr., l. 27. pr. D. *de pactis*, l. 52. § 5. D. *pro socio.* (6) L. 4. § 2, 3. D. *de edendo*, l. 40. § 8. D. *de statulib.* cet. (7) L. 20. D. *de inst. act.* (8) L. 9. § 1. *de edendo*, l. 9. *de pactis.* (9) L. 77. § 16. D. *de leg. II*, l. 28. § 9. D. *de liber. leg.*

nas (1) habebant in foro; unde qui solvendo non amplius erant, de foro cedere dicebantur (2). Tabernae istae publicae erant; qui tali praeësse volebat, jus et locum et exercitium una emebat (3).

At in viam redeamus: vidimus olim tantum circa rem pecuniariam et nummorum permutationem eorum munus fuisse versatum: paulatim nullus fere contractus, nullus in civitate actus sine ipsorum ministerio exercebatur. Sic legimus de eo qui per argentarium venditionem fecerat hereditatis (4); verbo » argenti distractores... utiles omnibus contractibus" fuisse dicuntur (5): – facile apparet, qualis strepitus et quî totus rerum ordo fuerit turbatus, cum talis foenerator solvendo non erat (6); et praecipue, ut ille de quo HERMOGENIANUS agit (7) » cum fuisset celeberrimus."

At probe intelligitur et ex dictis locis apparet, unumquemque qui cum argentario egerat, non statim omnem pecuniam de mensa sua retractare; sed saepius ibi relinquere: et hinc jam magis implicitae illae rationes! Relinquebant autem suos ibi nummos duplici ratione: et primo quidem, ut iis uteretur argentarius et ipsarum solveret usuras minores (8); ipse autem eos nummos aliis crederet sub majoribus usuris (9). Si, ut saepe, ab his acciperent hypothecas pro nummis creditis, has transferebant in eos qui ipsis pecuniam suam utendam dederant; uti etiam singulariter cautum est » super hypothecis, quas argenti

---

(1) L. 32. D. *de contr. emt.* (2) L. 7. § 2. D. *depos.* (3) L. 32. D. *de contr. emt.* (4) L. 18. D. *de hered. pet.* (5) L. un. C. *negoc. ne milit.*, l. 2. § 2. C. *de const. pec.* (6) L. 7. § 2. D. *depos.* (7) L. 50. D. *de adm. et per. tut.* (8) Haec conveniunt pro parte cum nostris *spaarbanken*, *caisses d'épargnes.* (9) Cf. l. 9. § 8. D. *de reb. cred.*

distractores vel metaxarii vel alii quarumcunque specierum negociatores pecunias sibi credentibus daro solent" (1). Horum causa (quae aliquid commune habet cum hodiernis *banques d'escompte* (2)), propter hanc ipsam securitatem et usurarium reditum non erat privilegiata. Altera ratio, qua pecuniam apud argentarium habebant, erat simplicis depositi: si quid ex contractu coram argentario confecto, supererat, vel pecunia numerata pollebant, eas pecunias habebant apud argentarios et nummularios, qui » accipiunt pecuniam et erogant per partes" (3), et ratione tandem reddita, reliqua reddebant: sic » Lucius Titius mensae nummulariae quam exercebat, habuit libertum praepositum; is Gajo Sejo cavit in haec verba: habes penes mensam patroni mei denarios mille, quos denarios vobis numerare debebo pridie kal. Majas" (4). At operae pretium est, cum tamen exempla ad manum sint, implicitam magis rationem et simul hujus formam exponere: » Lucius Titius Gajum Sejum mensularium, cum quo rationem implicitam habebat propter accepta et data, debitorem sibi constituit, et ab eo epistolam accepit in haec verba: ex ratione mensae, quam mecum habuisti in hunc diem, ex contractibus plurimis remanserunt apud me ad mensam meam 386, et usurae quae competierint; summam aureorum quam apud me tacitam habes, refundam tibi; si quod instrumentum a te emissum, cujuscunque summae ex quacumque causa apud me remansit, vanum et pro cancellato habebitur" (5). Hic autem videtur mentio fieri tam pecu-

---

(1) L. 27. C. *de pign. et hyp.* (2) Cf. quae de his dicit SAY T. II. p. 131, sqq. (3) L. 9. § 2. D. *de edendo.* (4) L. 20. D. *de inst. act.* (5) L. 47. § 1. D. *de pactis.*

niae ex contractu residuae, usurariae, quam depositae (1) tantum. Deposita autem pecunia id habebat privilegium ut »quotiens foro cedunt nummularii, soleat primo loco ratio haberi depositariorum; hoc est eorum qui depositas pecunias habuerunt, non quas foenore apud nummularios vel cum nummulariis vel per ipsos exercebant [sed quas sine lucro deponebant]" (2): »quod privilegium exercetur non in ea tantum quantitate quae in bonis argentarii ex pecunia deposita reperta est, sed in omnibus fraudatoris facultatibus; idque propter necessarium usum argentariorum ex utilitate publica receptum est" (3).

Hinc accuratissime rationes scribere suas cogebantur in calendario (4), cum omnis »probatio scriptura codicibusque eorum maxime continetur; et frequentissime ad eorum fidem decurritur" (5); et probanda Praetoris cura, jubentis ut »argentariae mensae exercitores rationem quae ad se [unumquemque privatum] pertinet, edant adjecto die et consule:... nam cum singulorum rationes argentarii conficiant, aequum fuit, id quod mei causa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi" (6). Ante hoc edictum illi qui invicem argentarium eundem adhibebant, libros acceptorum et impensarum ipsi tenebant: et hac in re constitisse videtur obsoleta illa literarum obligatio, de qua obscura quaedam refert JUSTINIANUS (7).

Haec si unusquisque sibi tantum tenuisset nomina, et

---

(1) Voc. *tacitam*, quod interpretes intelligunt de pecunia in calendarium non relata, potius dictum credo de pecunia tantum deposita, quae non ut illa de qua mox loquebatur, usuras proferebat. (2) L. 7. § 2. D. *depos.* Add. l. 24. § 2. D. *de reb. auct. jud. vend.*, l. 39. D. *de solut.* (3) L. 8. D. *depos.* (4) Cf. l. 37. D. *de usu et usufr.*, l. 6, l. 27. § 3. D. *de instruct. v. instr. leg.*, l. 23. pr. D. *de pec. leg.* (5) L. 9. § 2. *de edendo.* (6) L. 4. pr., § 1. D. *de edendo.* (7) Inst. Tit. *de lit. obl.*

nummos pro iis in argentarii mensa ipse petivisset, non foret res plane intricata; sed saepius, qui pecuniam debebat, creditori dabat instrumentum in argentarium suum; creditor autem hoc alteri cuidam in solutum dabat (1); et ipsi forte argentarii sic saepe instrumentis inter se commutandis acceptum ferebant: adeo ut ea instrumenta numeratae pecuniae plane locum haberent; nec revera aliud essent, quam quod nos *billets de banque*, imo etiam interdum id quod *billets au porteur* dicimus (2).

Ipsum autem argentariorum lucrum erat in usuris quas accipiebant pro opera et praestationibus, et in dispendio (*agio*): sive quis usu tritam vel diversae regionis pecuniam novis nummis et usitatis permutaret; sive de accipienda pecunia consuleret; sive contractum coram argentario iniret cum alio; sive de pecunia deposita disponeret per partes; semper sine dubio aliquid solvebant (3): » propterea quod omnis illis ex eo vivendi facultas pendeat, quod usuras pendant, quod mercedem pro habitatione dent, et velut propugnaculum communis utilitatis sint, ut ne damnum sentiant" (4); » quum id nostrorum temporum bonitati universaeque Reip. contractibus, quorum praecipui quique et maxime necessarii semper per praedictum collegium fiunt, conveniat" (5). Igitur licebat iis besses usuras centesimae sumere (6).

---

(1) Sic mulier marito » sua nomina id est foeneratitias cautiones'' dabat. L. 11. C. *de pact. conv.* (2) Cf. SAY T. II. p. 127, sqq. *Schedulae argentariorum* latine dicuntur nostrorum *Cassiers-briefjes.* (3) Vel potius non solvebant, sed eo minus in adversa parte debiti adscribebatur. (4) JUSTIN. Edict. 9. C. 2, pr. (5) Edict. 7. C. 8. § 1. (6) *8 pr. cent.* Nov. 136. C. 4, l. 26. § 1. C. *de usur.* – De argentariis, praeter locos jam citatos, conferri merentur l. 15. § 11. D. *de re jud.*, l. 61. pr. D. *de obl. et act.*, l. 88. D. *de solut.*, l. 89. § 2. D. *de verb. sign.;* deque eorum collegio publice agnito Nov. 4. C. 3. § 1, Nov. 136. praef., Edict. 7. C. 2, Edict. 9.

Cum autem erant qui horum commodorum participes esse quidem volebant, non vero oncrum solvendi habitationis et juris mensam exercendi mercedem, contra hos, qui se collegiatos modo vel decanos dicebant (1) et ita tributum illud publicum effugiebant, lege cautum est. Fieri potest, ut hi fuerint minorum gentium, iidem qui, ut ex Codice apparet, muneri illo jungebant aliarum quoque mercium, atque pecuniae, venditionem; quas, ut opinor, ab aliis primum pro argento, aurove acceperant permutandas; ut notare videtur hic locus: » ipsique vel pecuniam numeratam dederint vel (quod maxime apud argentariae mensae praepositos fieri consuevit) species aliquot mundi forte muliebris aut argenti [facti sc.], quod ob ejusmodi datur venditurve, pro quo tamen pretium nondum perceperint" (2); – vile hominum genus, plebem decipere sibique lucrari tantum studens; quare THEODOSIUS et VALENTINIANUS hos » cunctos, qui diversarum rerum negociationibus detinentur, trapezitas scil. vel gemmarum argentique vestiumve venditores," ab omni officio militiaque prohibuerunt (3).

Haec de pecunia numerata ejusque surrogatis deque JCtorum his de rebus opinionibus jam sufficiant.

---

(1) L. 9. C. *de SS. eccles.* (2) Nov. 136. C. 3; estque *mensae Lombardicae* species *privatae.* (3) L. 12. § 3. C. *de cohort. pr.*, l. 6. C. *de dignit.*, l. un. C. *mercatores ne mil.*

CAPUT ALTERUM.

DE VALORE ET PRETIO.

Aestimatio tantum pecuniae ejus efficit valorem; nullus pecuniae usus est, nisi in eroganda: pecuniae nomine comprehenduntur res omnes; vicissim omnes res quae pecunia parari possunt ei aequiparantur; etiam actiones quibus rem petimus: – praefertur interdum pecunia numerata, ob commodum; interdum alia res, ob utilitatem: – aestimatio rei pendet ab ejus utilitate; valor apparet ex pretio: – pretium rogatum, oblatum, currens: quare rei pretium nonnumquam egrediatur valorem: pretium non necesse est ut in pecunia consistat; imo pars pretii consistit in solvendi die, loco et modo: pretium differt pro diversis locis et temporibus; minuitur, cum rei utilitas deterior fit; crescit, cum augetur utilitas.

Ex iis quae disserui de pecuniae numeratae secundum JCtorum Rom. sententiam notione, et praesertim ex usu surrogatorum eorum quae in locum pecuniae dantur, jam apparet, non ipsum auri argentique pondus facere ut illud homines concupiscant, sed aestimationem eos intueri quam habet pecuniae nummus. Ne tamen videar plus ex Jctorum verbis deducere quam iis insit, addam locos

ex quibus hoc perlucide liquet. V. c. ait PAPINIANUS (1): »in pecunia non corpora cogitet, sed quantitatem [scil. earum rerum quas pro ea possis acquirere]": »si falso existimans debere, nummos solvero, qui pro parte alieni, pro parte mei fuerunt, ejus *summae* partem dimidiam, non *corporum* condicam" (2). Neque enim interest utrum eosdem recipias nummos, modo eandem recuperes aestimationem; modo pro summa recepta totidem possis emere quot pro data. Etenim hic usus pecuniae est, non ut illam contemplemur atque condamus, sed ut erogemus illam, et ita, ut volumus, re emta utamur. Hoc optime intellexere Jcti; hinc: »sed de pecunia recte caveri oportet his a quibus ejus pecuniae ususfructus legatus erit; quo Scto non id effectum est, ut pecuniae ususfructus proprie esset; nec enim naturalis ratio auctoritate senatus commutari potuit; sed remedio introducto coepit quasi ususfructus haberi" (3).

Cum igitur constet, non posse uti pecunia quem nisi illam eroget, hinc sequitur, illa quae pro pecunia acquirit, quamvis revera nomen pecuniae perdiderint, tamen manere pecuniam, scil. *valorem* pecuniae. »Pecuniae verbum" ait Jctus (4) »non solum pecuniam numeratam complectitur; verum omnem omnino pecuniam, hoc est omnia corpora: nam corpora quoque pecuniae appellatione contineri, nemo est qui ambiget:" »pecuniae nomine non solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli quam mobiles et tam corpora quam jura continentur" (5). Neque JUSTINIANUS id non intellexit dicens (6): »et nemi-

(1) L. 94. § 1. D. *de solut.* (2) L. 19. § 2. D. *de cond. indeb.* (3) L. 2. D. *de usufr. ear. rer.* Add. l. 5. § 3. eod. (4) L. 178. pr. D. *de verb. sign.* (5) L. 222. D. eod. (6) L. 2. § 1. C. *de const. pec.*

nem moveat, quod sub nomine pecuniae etiam omnes res exigi definiamus; cum et in antiquis libris prudentium licet constituta pecunia nominabatur, tamen non pecuniae tantum per eam exigebantur, sed omnes res quae pondere, numero, mensura constitutae erant; sed et possibile est omnes res in pecuniam converti: si enim certa domus vel certus ager vel certus homo vel alia res quae expressa est, in constituendis rebus ponatur, quid distat a nomine ipsius pecuniae? Sed ut subtilitati eorum satisfaciat qui non sensum sed vana nominum vocabula amplecti desiderant: ita omnes res veniant in constitutam actionem, tanquam si fuisset ipsa pecunia constituta: cum etiam veteres pecuniae appellatione omnes res significari definiant, et hujusmodi vocabulum et in libris juris auctorum et in alia antiqua prudentia manifestissime inventum sit" (1): propterea Falcidia tam in corporibus legatis quam in pecunia obtinet, eorumque pretium aestimatur (2); et Scto Macedoniano cum tantum numeratio pecuniae prohibetur, tamen si in fraudem legis merces pro pecunia datae sunt, actio non datur (3).

Ut autem pecuniae nomine significantur res quaecunque, sic aestimatio omnium rerum s. mercium quae pecunia parari possunt, ipsi aequiparentur necesse est; neque igitur quoad valorem quidquam interest, certam pecuniae summam accipias, an merces quas ea pecuniae summa vendere possis; et fundamentum hujus principii est in JUSTINIANI loco l., »possibile est omnes res in pecuniam con-

---

(1) Neque obstat l. 42. D. *de fidej.*, cujus mens supra p. 19. jam explicata est; neque etiam l. 5. D. *de verb. sign.*: »rei appellatio latior est quam pecuniae," quae juridicam verborum significationem spectat. (2) L. 63. § 1. D. *ad l. Falc.* (3) L. 3. § 3, l. 4, l. 7. § 7. D. *de Scto Maced.*

verti." Hinc »si cui non nummus ad alimenta sed frumentum atque oleum et cetera quae ad victum necessaria sunt, fuerint relicta, non poterit de his transigere: si tamen ita... transegerit, ut in vicem eorum nummum acciperet, et neque diem neque modum permutavit sed tantum genus," valet transactio (1); »si pro habitatione quae erat relicta, placuerit certam quantitatem praestari" (2) idem erit; »si quis aquam legavit in alimentis, videtur legasse quanti id emi possit" (3); »si quis vendiderit hereditatem, utique possidere videtur" (4). Sic in poena contractui adjecta, »non si utrimque poena nummaria sed et si alia res vice poenae promissa sit" (5); et in constituto: »si quis 100 debens, frumentum ejusdem pretii constituat, puto valere" (6). Eo magis igitur in emtione id obtinet, aliisque contractibus in quibus pretii nomine solvitur aestimatio: »et putem" aiunt ULPIANUS et PAULUS »omne omnino quod propter emtionem vel dedit vel permutavit vel compensavit eo nomine (nam et is dedisse intelligitur)... duplari debere" (7). Hinc »permutatio vicem emtionis obtinere" dicitur (8); et quamvis non vocetur *emtio*, quia »emtionem rebus fieri non posse

---

(1) L. 8. § 24. D. *de transact.* (2) l. l. § 25. (3) L. 14. § 3. D. *de alim. leg.* Add. l. 22. § 1. eod. (4) L. 4. § 3. D. *si quis omissa caus. test.* Add. l. 89. § 7. *de leg. II*, l. 16. § 1, 5, l. 25. § 1. D. *de hered. pet.* (5) L. 11. § 2. D. *de recept. qui arb.* (6) L. 1. § 5. D. *de pec. const.*: nec obstat l. 26. § 4. D. *de cond. indeb.* »si centum debens quasi ducenta deberem, fundum ducentorum solvi, competere repetitionem MARCELLUS scribit." Ratio enim specialis additur: »licet enim placuit, rem pro pecunia solutam parere liberationem, tamen si ex falsa debiti quantitate majoris pretii res soluta est, non fit confusio partis rei cum pecunia: nemo enim invitus compellitur ad communionem." (7) L. 18. § 1, l. 19, l. 20. pr. D. *de liber. caus.* (8) L. 2. C. *de rer. perm.*

pridem placuit" (1), tamen » is qui rem permutatam accepit, emptori similis est; item qui rem in solutum accepit" (2): etenim solutionis nomen pertinet ad omnem liberationem quoquo modo factam, magisque ad substantiam obligationis refertur quam ad nummorum solutionem" (3).

Neque opus est ut ipsa res ita in solutum data in se comprehendat aestimationem (4) sive valorem quem petiveras; modo certum sit, ut is sive in pecunia sive in alia re statim per eam accipi possit: »nam si bonorum ususfructus legabitur,... quod in actionibus erit computabitur" (5): » imo nomen debitoris pignori dari poterat, ita ut corpus vel pecunia inde recepta pignori obligata maneret" (6): » *abesse* intelligitur pecunia fidejussori [i. e. fidejussor intelligitur solvisse], etiam si debitor ab eo delegatus sit creditori, licet is solvendo non fuerit: quia bonum nomen facit creditor qui admittit debitorem delegatum" (7): etenim » solvisse accipere debemus non tantum eum qui solvit, verum omnem omnino qui ea obligatione liberatus est, quae ex causa judicati descendit" (8): Quippe » nominis appellatione rem significari" (9) putabant; id est, res quae nomine potest acquiri adeo ipsi nomini inest, ut *nomen* possit *res* dici (10): hinc » facere posse maritus etiam id videtur quod a muliere consequi po-

(1) L. 7. eod. (2) L. 15. D. *quib. ex caus. in poss.* (3) L. 54. D. *de solut.* (4) *Aestimatio* proprie est ille *valor*, qui ab hominibus rei inesse creditur: *aestimatio* relative, *valor* objective dicitur. Cf. p. 42, init. (5) L. 43. D. *de us. et usufr.* (6) L. 18. pr. D. *de pign. act.* (7) L. 26. § 2. D. *mand.* Cf. L. 47. pr. eod. (8) L. 4. § 7. D. *de re jud.* (9) L. 4. D. *de verb. sign.* (10) Cff. porro l. 59. D. *de leg. III*, l. 5, l. 6. § 4. D. *de pec. leg.*, l. 6. C. *de obl. et act.*, l. 5. C. *quando fisc. vel priv. debit.* eet.

test" (1); idem erit, et si non accepit, sed promissa ei est pecunia (2).

Abunde jam ex his patet, aestimationem sive valorem rerum per se vel relatione ad aliquid, verum esse principium omnium transactionum humanarum. Nunc autem rogari potest, quaenam igitur causa sit, ut saepe quis pecuniam numeratam praeferat ejus aestimationi quae in certa re est; et contra, quare hanc illamve rem quis potius consequatur, quam ejus in pecunia aestimationem?

Vidimus jam (3), pecuniae usum introductum esse ex eo quod non semper quod ego haberem tu velles: eadem mansit praeferentiae causa; intellexerunt homines pecuniam esse mercem quae cunctis conveniret; quia hac statim aliud quid nobis acquirere possemus, neque opus esset nova antea permutatione (4). Sed aliae etiam sunt rationes, quarum duae enumerantur a VENULEJO (5): » detrahere legatis vel adjicere, si nihil praeter numeratam pecuniam legatum sit, promptum est: cum vero res corporales intervenient, et scriptura difficilior fit, et obscura portio." *Scriptura difficilior* est aliarum rerum quam pecuniae: hoc pertinet in l. 1. ad inventarium faciendum rerum quae inveniuntur in hereditate; et sine dubio facilius est scribere 100 vel 200 quam aedem ejus valoris, et praedium, et boves, instrumenta, cet.: sed idem de omni alia scriptura valet; omnis probatio fit facilior et levior, pecunia soluta quam rebus in solutum datis. - *Obscura*, ut inquit, *portio* est, cum res interveniunt magis quam

(1) L. 28. D. *sol. matr.* (2) L. 24. D. *de acq. v. om. her.* Add. l. 5. § 12. D. *de trib. act.* (3) P. 13, ex l. 1. pr. D. *de contr. emt.* (4) SAY T. II. p. 5. (5) L. 32. D. *de adimend. v. transf. leg.*

cum pecunia; etiam hoc patet: nam difficilius est et aestimationem ipsarum rerum sibi aequalem opponere, et si quid addendum sit vel demendum, ut partes sint unicuique pro portionum ratione pares (vel ut pretium in emtione merci plane conveniat), obscurius hoc fit, id est, non tam plane omnibus liquet hujus aestimationis veritas; et simul ut secundum veritatem perficiatur pergrave est, nam res non in tam parvas partes scindi possunt quam pecunia (1). Sed alia tandem causa est, quae quamvis in opinione hominum, non vero in ipsa re est, tamen debet notari; scil. saepe honestius est pecuniam habere quam aliam rem. Hinc TERENTIUS CLEMENS (2): »quid enim si aliter honeste nubere non possit, quam ut *pecuniam* in dotem det; idque ei magis expediat? Atquin possunt *res in dotem datae* plerumque alienari, et *pecunia* in dotem converti: sed (ut expediatur quaestio) si... non aliter matrimonium contrahere vir patitur, nisi pecuniis in dotem datis, tunc officium est curatoris, ... rerum venditione celebrata, dotem constituere."

Saepius autem fieri potest, ut omnia illa pecuniae numeratae commoda non sufficiant, ut illam potius quam aliam rem homines habeant: valorem enim eundem ponas, tamen potest alicujus interesse, utrum universe rem aliquam vel imprimis rem quam dedit recipiat, an vero pecuniam; scilicet quum res illa utilior ipsi sit, quam pecunia quam aliquis pro ea dare consentiret: sic quamvis res pignori data et pretium plane ejusdem sint valoris, tamen aliquando interest alicujus »corpora potius habere" (3): »nam constat posse inter uxorem et virum con-

---

(1) SAY T. II. p. 5, et T. I. p. 213, sqq. (2) L. 61. § 1. D. *de jure dot.* (3) L. 9. pr. D. *de minor.*

veniri, ut dos quae in pecunia numerata esset permutaretur, et transferatur in corpora, cum mulieri prodest" (1). Hinc: »cum, *bonorum parte* legata, dubium sit, utrum rerum partes an aestimatio debeatur; SABINUS quidem et CASSIUS aestimationem, PROCULUS et NERVA rerum partes esse legatas existimaverunt. Sed oportet heredi succurri, ut ipse eligat, sive rerum partes sive aestimationem dare maluerit. In his tamen rebus partem dare heres conceditur, quae sine damno dividi possunt; sin autem vel naturaliter indivisae sint, vel sine damno divisio earum fieri non potest, aestimatio ab herede omnimodo praestanda est" (2). Adde hunc locum: » ut frumenti certum modum certo pretio acciperet,... quando conductoris intererat, in frumento potius quam in pecunia solvere pensionis exceptam portionem" (3): » quod ait lex: *quanta pecunia erit, tantam pecuniam dato:* ostendit aestimationem hereditatis vel bonorum liberti, non ipsam hereditatem voluisse legem praestari, nisi maritus ipsas res tradere maluerit" (4). Ex his locis abunde patet, aestimationem quam quis rei suae tribuit, pendere ab utilitate quae rei inest, ex commodo quod ex ea re acquirit: simul atque autem haec utilitas talis est ut reliquis quoque homini-

---

(1) L. 21. D. *de pact. dot.* Add. l. 26. D. *de jure dot.* (2) L. 26. § 2. D. *de leg. I.* Add. l. 3. C. *comm. div.;* cf. porro l. 33, l. 92, pr. D. eod., l. 48. pr. *de leg. II*, l. 1. § 12, 13. D. *si quid in fraud. patr.* (3) L. 19. § 3. D. *loc. cond.* Add. l. 35. § 1. D. eod. — Ex hac autem opinionum differentia optime explicari possunt ii loci qui videntur obstare regulae juris: aliud pro alio in solutum dari nequit invito, quamvis rerum earum revera eadem fuerit aestimatio. Cf. l. 25. D. *de jure dot.*, l. 17, l. 20. C. *de solut.*, ibique interpp. (4) L. 64. § 10. D. *sol. matr.*

bus eadem videatur, aestimatio hujus rei a cunctis eadem fiet; et tunc dicitur is rei esse *valor* (1).

Valor ille rei apparet ex summa quam accipis, si eam rem vendas: ait JULIANUS »aestimandum quanti valet... hoc est, quanti vendere potest" (2): illud autem *quanti vendere* uno verbo *pretium* dicitur (3): hinc »penes eum videtur esse peculium ad quem pretium peculii pervenit" (4); et universe »videtur res ei abesse cui pretium abest" (5); atque »emtionis substantia constitit ex pretio" (6); in actionem tributoriam venit »quidquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit" (7). Plane igitur idem est, rem *vilioris* esse et *minoris* esse *pretii;* ut insuper patet ex collatis his locis: servo corrupto, cum quaesitum fuit, »aestimatio utrum ejus duntaxat fieri debeat quod servus in corpore vel in animo damni senserit, hoc est quanto *vilior* servus factus sit, an vero et caeterorum? NERATIUS ait, *tanti* condemnandum corruptorem, *quanti* servus ob id quod surreptus sit, *minoris* sit" (8); – alio autem loco dicitur (9): »aestimatio habetur in hac [eadem scil.] actione *quanti* servus *vilior* factus sit." Vide quam bene JCti Rom. id perceperint!

Cum autem, ut vidimus, pretium sit valor expressus utilitatis rei, sequitur, pretium quod quis *dare* velit pro

---

(1) His iisdem argumentis nititur Cl. SAY ratiocinatio, improbantis doctrinam *Bilancis* q. d. *commercii;* et ex iis sequitur, nationis commodum esse, ut multum habeat mercium potius et productorum quam pecuniae; cum eae singulorum hominum rationes quibus praefertur interdum pecunia numerata mercibus, non valeant de ipsa natione. Cf. SAY T. I. p. 203-231. (2) L. 1. § 16. D. *ad Sctum Treb.* (3) SAY T. I. p. 7. (4) L. 33. D. *de pecul.* (5) L. 14. pr. D. *de verb. sign.* (6) L. 72. pr. D. *de contr. emt.* (7) § 3. Inst. *quod cum eo qui in al. pot. est.* (8) L. 9. § 3. D. *de serv. corr.* (9) L. 14. § 8. eod.

re, pendere ab utilitate quam putat se hac ex re fore accepturum: v. c. »sin autem certo quidem pretio, quod non prima facie videtur esse iniquum, dominus servum vendere paratus est," cet. (1); alter autem qui rem *vendit*, rogat tantum quanti *aut* illa res sibi constiterit: v. c. servum vendens »debet recipere pecuniam, quam dedit pro eo homine, vel si quid accessionis nomine: *dari* autem non id solum accipiemus quod numeratur venditori, ut puta pretium et usuras ejus; sed et si quid emtionis causa erogatum est" (2); – *aut* quanti aestimandum sit commodum quod ipse ex rei usu habebat; sic: »minor si rogatus est manumittere, conferenda erit quantitas emolumenti quae ad eum pervenit, ex judicio ejus qui rogavit, cum pretio eorum quos rogatus est manumittere" (3). Ex diversis autem his ab utraque parte commodis saepe plurimae oriuntur contestationes, quae optime describuntur a DIOCLETIANO (4): »quod si videlicet contractus emtionis atque venditionis cogitasses substantiam, et quod emptor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerentes, ad hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emptore autem huic quod obtulerit addente, ad certum consentiant pretium: profecto perspiceres, neque bonam fidem, quae emptionis atque venditionis conventionem tuetur, pati, neque ullam rationem concedere, rescindi

(1) L. 31. § 4. *de fideic. lib.* Add. l. 32. (2) L. 27. D. *de aed. ed.* Add. l. 29. eod. – Apparet recte intellexisse Romanos Jctos illud de quo inter recentiores etiam lis fuit, pretium oblatum pendere ab utilitate quae rei inest: pretium quod quis vendens rogat, pendere de sumptibus ad eam acquirendam factis. Cf. SAY T. I. p. 5. not. 3. (3) L. 20. pr. D. *de manum. vind.* (4) L. 8. C. *de resc. vend.*

propter hoc [paulo scil. minus pretium] consensu finitum contractum; vel statim vel post pretii quantitatis disceptationem": - etenim »in emendo et vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere; quod minoris sit, pluris vendere; et ita invicem se circumscribere" (1). Et haec est differentia quae obtinet inter pretium currens quod vocatur (verum pretium, ut dicunt Rom.) et pretium oblatum: res enim revera potest majorem habere valorem quam videtur ei qui ea uti velit: venditor autem ipse videns oblatum pretium ipsi non convenire, potest id negare: »quibus... pretiis negociatores vina compararent, in contrahentium potestate esse; neque enim quisquam cogitur vendere, si pretium... displiceat" (2): imo »non... aequum est invitum suo pretio res suas vendere" (3); i. e. nemo rem suam tenere cupiens, cogi potest eam vendere, etiamsi verum ejus pretium offeratur. Pretium igitur illud currens, est verum rei pretium, quod omnes eodem tempore ei tribuunt; et hoc sensu dicuntur »pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fungi" (4); et »in Falcidia aestimatio pretii rerum ex veritate facienda est" (5); »corpora si qua sunt in bonis defuncti secundum rei veritatem aestimanda erunt; hoc est secundum *praesens pretium*, nec quicquam eorum *formali* pretio aestimandum

---

(1) L. 22. § 3. D. *loc. cond.* (2) L. 71. D. *de contr. emt.* (3) L. 9. D. *de act. rer. amot.* - Alii legere volunt *non suo pretio:* ut significaretur, neminem cogi infra pretium rem suam vendere: quod quidem ita est, sed hac lege non dicitur: jurat enim maritus, quanti fuerit res, i. e., ut ex l. 29. eod. patet, quanta rerum amotarum aestimatio fuerit tempore quo amotae sunt: igitur quaestio non esse poterat hîc de vendendo infra pretium. (4) L. 33. pr. D. *ad l. Aquil.*, l. 63. D. *ad l. Falcid.* (5) L. 42. D. *ad l. Falc.* Add. l. 49. § 8. *de leg. I*, l. 10. § 2. D. *comm. div.*

est" (1). Verum autem illud pretium unum tantum esse potest: »rem in judicio deductam non idcirco pluris esse opinamur, quia crescere potest contumacia non restituentis per jusjurandum in litem: non enim... *res pluris fit* per hoc, sed ex contumacia aestimatur *ultra rei pretium*" (2): non igitur jurejurando valorem statuens dicere potest »eo plurisve" eam valere, »quia quod res pluris est, utique tanti est" (3). De hoc tantum vero pretio, prctio currente, dici potest, plane id cum ipsa re convenire; et idem esse utrum rem an prctium quis det vel consequatur (4). Unde autem pendeat valor quem quis rei suae tribuit, vidimus; scilicet ex utilitate quam secum fert. Interdum tamen fit, ut quis plus petat quam revera valeat res: idque duplici ratione, vel ut ipse venditor rem suam pluris aestimet quam revera valeat; vel ut, sciens non pluris valere, tamen plus petat, sperans ut necessitas cogat homines eo pretio emere: – de utroque videamus.

Si ipse suam rem pluris aestimat quam quidem revera pretium solitum est, *vel* potest esse causa in eo quod animi affectione rem magni faciat: at, ut vidimus, pretia rerum non ex affectione singulorum definiuntur (5); *vel* quod majoris ipsius intererat eo tempore rem ipsam ha-

---

(1) L. 62. § 1. *ad l. Falc.* – *pretium praesens* est, quod hodie universe constat pro rebus his dari; unde efficere licet, Romanis quoque notum fuisse, quod nos *marktprijs* et *prijs-courant* dicimus. Cf. Burg. Wetb. a. 1463, Franci *mercuriales*. Cf. C. Nap. a. 1291; *formale pretium* videtur esse illud quod sibi quis efformat, fingit, cogitat se petere posse: et sic haec lex plane convenit cum l. 33. pr. D. *ad l. Aquil.* modo l.: – huc refer l. 63. § 2. in f. D. *ad l. Falc.* (2) L. 1. D. *de in lit. jur.* Add. l. 8. eod. (3) L. 9. eod. (4) L. 1. § 16. D. *ut legator.*, § 3. Inst. *quod cum eo qui in al.* l. 7. D. *de usufr. ear. rer.* (5) l. l. 63. *ad l. Falc.*

bere quam ejus pretium; at rursus ex eadem lege patet, utilitate singulorum non constitui pretia: utrumque, et affectio et id quod interest, igitur differt a pretio vero: »mancipium quod non *pretio*, sed *affectu* sit aestimandum" (1); »in furti actione non *id quod interest* quadruplabitur vel duplabitur, sed *rei verum pretium*" (2); »si res vendita non tradatur, in id quod interest agitur: hoc est, quod rem habere interest emptoris; hoc autem *interdum* pretium egreditur, si pluris interest quam res valet, vel emta est" (3): - nota illud *interdum;* nam fieri potest, ut id quod interest non tantum non egrediatur rei pretium, sed etiam minus sit: »utilitates quae amissae sunt ob hoc quod non exhibetur vel tardius exhibetur, aestimandae a judice sunt:... utilitatem actoris venire in aestimationem [in ea actione scil. ad exhibendum], non quanti res sit: quae utilitas interdum minoris erit, quam res" (4): - alterum rursus argumentum, quo probetur veritas: pretia rerum non ex utilitate singulorum esse definienda.

Alter casus, quo quis plus petat quam sciat rem valere(5), sperans ut alii necessitate coacti tamen, atque adeo pluris, emant, quam maxime est evitandus: hinc »debebis custodire ne dardanarii ullius mercis sint, ne aut ab his qui coëmptas merces supprimunt, aut a locupletioribus qui fructus suos aequis pretiis vendere nollent, dum minus

(1) L. 36. D. *de bon. libert.* (2) L. 50. pr. D. *de furt.* (3) L. 1. pr. D. *de act. emt. et vend.* Add. l. un. C. *de sententiis quae pro eo q. i.* (4) L. 9. § 8. D. *ad exhib.* - Bene autem distinguenda utilitas quae hic dicitur, et omnino *id quod interest*, quod magis singulas singulorum hominum rationes, quam universe rem ipsam spectat, - ab eo quod antea diximus *rei* valorem aestimari ex *ejus* utilitate: quod Romani significabant voce *prodesse*. Cf. supra p. 41, in. (5) »Si pluris justo vendere velit." l. 31. § 4. D. *de fideic. libert.*

uberes proventus exspectant" (1), emtores ipsi pluris emere cogantur: »minor" autem »restituatur, si sua pecunia pluris quam deceret, emit" (2).

Interdum contra obtinet, ut is qui emat, plus impendat quam revera ad solvendum id quod debebat, opus erat: id autem fit, *vel* quia, quum necessitas urgebat, ea rei species quam solvere deberet non aderat, v. c. »cum frumentum deberetur,... Africum dedit: si quid ex necessitate solvendi plus impendit quam est pretium solutae rei" cet. (3), - *vel* quod ipsa rerum aestimatio creverat ob minores proventus: etenim »nec continuis sterilitatibus tantidem quanti secundis fructibus" emet (4).

Rarissime autem fit, ut quis minoris rem emat, quam valeat; nec nisi singularis quaedam ejus rei causa est, v. g. cum publice alicujus facultates venduntur ob non solutum tributum, atque viliori quam decet pretio emtae sunt (5): coacta enim illa venditio aeque nocet venditori ac intempestiva emtio emtori; et quod ceteroquin omni ratione prohibetur, alieno damno fit quis locupletior.

Pretii vocabulum Romanis est aliquid absolute positum, universe et nude significans id quod (eam mercem quam) dare quis consentit pro merce emta; ceterum indefinite, qua in merce pretium consistat. Videri possint obstare huic assertioni loci jam antea laudati (6), e quibus intelligeretur potius, nulla in re nisi in pecunia posse consistere pretium. Sed ibi de jure emtionis tantum sermonem esse, et hinc necessariam fuisse illam a principiis Oeconomis

(1) L. 6. pr. D. *de extraord. crim.* (2) L. 27. § 1. D. *de minor.* Add. Nov. 122. C. 2. (3) L. 50. § 1. D. *mand.* Add. l. 65. § 6. D. *de cond. indeb.* (4) L. 63. § 2. D. *ad l. Falc.* (5) L. 3. C. *de jure fisci*, l. 2. C. *de fide et jure hast.* (6) L. 1. § 1. D. *de contr. emt.*, l. 1. § 1. D. *de permut.*

aberrationem, cito apparebit. Contra multi loci sunt e quibus patet, quamvis plerumque pecunia pretium exprimatur, tamen intelligi posse pretium per se, sine addita pecuniae notione. Hoc jam elucet, quum legimus »pecuniam pretii"(1); at magis etiam ex verbis »pecunia quam in pretium dedit" (2), »quorum pretia venditores ex pecunia creditoris acceperant" (3): »officio autem judicis convenit jubere rem hereditariam venire unam pluresve, pecuniam ex pretio redactam ei numerari cui legata sit" (4). Quamvis enim hi loci ostendant plerumque pecuniam in pretium dari, simul tamen docent voce *pretii* non necessarie comprehendi *pecuniae* notionem. Nec magis huic opinioni obstat Romanorum frequens ratio, pretii monadem (unitatem) *assem* vocare, ejusque partes v. c. bessem, trientem (5): nam *as* quamvis fuerit olim pecuniae unitas, tamen universe de omni toto et uno dicitur, praesertim de hereditate (6); et sic etiam de pretio.

Errat igitur sine dubio SAY, *pretium* definiens: quantitatem *pecuniae* quam quis dare consentit ut rem acquirat (7). Quamvis enim saepius fit, ut pretium in pecunia solvatur, tamen nonnumquam alia res pretii loco datur, quae rei efficit pretium; ut in permutatione (8). Sic JULIANUS loqui-

---

(1) L. 13. D. *de pign. act.* Add. l. 23. eod. (2) L. 40. § 1. eod. (3) L. 21. § 1. D. *qui pot. in pign.* Add. l. 17. eod. (4) L. 26. D. *fam. ercisc.* (5) V. c. l. 12. § 8. D. *mand.*: »PAPINIANUS quaerit, si patronus praedium quod emerat, pro quo pretii bessem exsolverat, jusserit liberto suo tradere, ut ille residuum pretii redderet, deinde reddito pretio, vendenti fundum patrono libertus consenserit, trientis pretium an libertus possit repetere?"
(6) L. 13. § 1, l. 50. § 2. D. *de hered. petit.*, § 5. Inst. *de hered. inst.*
(7) T. I. p. 3. »la quantité *de monnaie* que l'on consent à donner pour obtenir une chose, se nomme son *prix*;" et opposita est ipsius doctrinae de bilance commercii, T. 1. p. 203, sqq.
(8) L. 4. § 11. D. *de doli m. et met. exc.*

tur de eo qui »pretium accepit vel quod pretii loco haberi possit" (1); et ULPIANUS ait »qui pretium dedit, vel vice pretii" (2): Adde hunc locum: »pretii causa non pecunia numerata sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus non constituitur irritus" (3): SABINUS autem et CASSIUS, teste JUSTINIANO (4) cum »in ceteris rebus an pretium esse possit, valde quaerebatur; veluti an homo aut fundus aut toga alterius rei pretium esse possit? hi JCti »etiam in alia re putabant pretium posse consistere." Sin autem in jure tunc aliter constitutum fuit, hoc non impedit quominus si oeconomice rem interpreteris, eorum sententia quam maxime valeat.

Imo ne consistit quidem in pecunia tantum rerum pretium: saepissime enim additur aliquid quod, quamvis statim pecunia exprimi non possit et *pretii* verbo non semper subintelligatur, certum tamen ipsi vendenti vel accipienti habeat valorem; quodque revera in causa fuit cur mercem suam huic vel illi vendere voluerit. Huc pertinent dies, locus, et modus obligationem praestandi: hinc dicitur: »dies solutionis sicuti summa, pars est stipulationis" (5); et facile hoc intelligitur: nam si cito accipiat pretium mercis quis, hac sua pecunia citius potest uti, et lucrum suum augere: »melior conditio afferri videtur, si pretio sit additum; sed et si nihil pretio [id est nummorum quantitati] addatur, solutio tamen offeratur... pretii... maturior, melior conditio afferri videtur" (6): »verum est, commodum in dote relegata, esse repraesentationis" (7); »si quis creditori suo quod debet legaverit,

(1) L. 4. § 11. D. *de doli m. et met. exc.* (2) l. l. § 31.
(3) L. 9. C. *de resc. vend.* (4) § 2. Inst. *de empt. et vend.*
(5) L. 1. § 2. D. *de edendo.* (6) L. 4. § 6. D. *de in diem addict.*
(7) L. 1. § 2. D. *de dote praeleg.*

aut inutile legatum erit, si nullum commodum in eo versabitur; aut si propter repraesentationis commodum utile erit, lex quoque Falcidia in eo commodo locum habet" (1). Contra demitur de pretio, cum post multum temporis demum solvitur, praesertim si contrarium stipulatum et quasi sub pretio conventum sit; v. g. »solidum non solvitur, non minus quantitate quam die" (2): »minus solvit qui tardius solvit; nam et tempore minus solvitur" (3). – Quod ad locum autem, multum quoque differre potest, quonam solvatur; et forte si scivisset alio se vellet loco se solvere debere, vel sibi fore solutum, plus petivisset pretii, minusve dedisset: »loco plus petitur... quia utilitatem quam haberet promissor, si Ephesi solveret, adimit ei pura intentione" (4): et sine dubio semper in pretio definiendo »venit aestimatio, quod alterutrius interfuit, suo loco prius quam in eo in quo petitur solvi" (5). – Tandem multum interest in definiendo pretio, qua ratione obligatio erit praestanda: si v. g. venditor eligere possit, quid praestare velit, pretium erit minus: sic »causa plus petit, qui electionem adversario tollit;... quin etiam licet vilissimum sit quod quis petat, nihilominus plus petere intelligitur, quia saepe accidit, ut promissori facilius sit illud solvere quod majoris pretii est" (6). Quod ad modum solvendi multum quoque differt, utrum v. g. pure solvatur quod sub conditione tantum debetur (7); et universe, modo facilior pretii solutio offeratur (8); si

---

(1) L. 1. § 10. D. *ad l. Falc.* Add. l. 5. eod. (2) L. 85. D. *de solut.* (3) L. 12. § 1. D. *de verb. sign.* (4) § 33. Inst. *de action.* (5) L. 1. C. *ubi conveniat. qui cert. loc.* Add. l. 8, l. 9. C. *de solut.*, l. 15. D. *de compens.* (6) § 33. Inst. *de action.* (7) L. 5. D. *ad l. Falc.* (8) L. 4. § 6. D. *de in diem add.*

enim onus petendi et requirendi pretii non incumbit, multo gratius erit creditori.

In his autem locis non agi, ut forte objiceret quis, de eo quod interest (quodque, ut vidimus, pretium saepe egreditur), sed de uno illo pretio, patet quoque ex ratione quam JUSTINIANUS praeter necessitatem constituit inter hanc quaestionem et aliud Oeconomiae Pol. principium: scil. locorum differentiam per se sufficere, ut eodem tempore eadem merx multum diverse aestimetur, et valde differens inter se consequatur pretium. Dicit enim JUST. (1) »propter quam causam alio loco petenti arbitraria actio proponitur, si illo loco solveret: quae utilitas *plerumque* in mercibus maxima invenitur, veluti vino, oleo, frumento, quae per singulas regiones diversa habent pretia." Non igitur negat saepe fieri, ut utilitas hoc illove loco solvendi ab alia re, v. c. a commodo facilius inde transvehendi, vel quod propior sit locus illi quo moramur, cet. pendeat; sed *plerumque*, ait, haec solutionis in certo loco utilitas consistit in diverso diversis locis pretio: certissimum sane argumentum, hic de vero pretio agi, non de eo quod interest. At non possum quin locum addam ex quo citra omne dubium idem apparet: est ille ex PAULI scriptis (2): »cum per venditorem steterit quo minus rem tradat, omnis utilitas emptoris in aestimationem venit, quae modo circa ipsam rem consistit; neque enim si potuit ex vino (puta) negotiari, et lucrum facere, id aestimandum est; non magis quam si triticum emerit, et ob eam rem quod non sit traditum, familia ejus fame laboraverit: nam *pretium tritici*, non servorum fame necatorum, consequitur;

---

(1) Inst. l. l. (2) L. 21. § 3. D. *de act. emt. et vend.*

nec major fit obligatio quod tardius agitur, quamvis crescat [obligatio], si vinum hodie pluris sit," cet.; et alibi HERMOGENIANUS: »venditori si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras dumtaxat praestabit, non omne omnino quod venditor, mora non facta, consequi potuit; veluti si negociator fuit, et pretio soluto, ex mercibus plus quam ex usuris quaerere potuit" (1).

Pauca jam his adnectemus de illo quod tangere coepimus Oeconomiae principio: diversa esse pretia mercium pro diversis locis ubi sunt, atque pro diversis quibus venduntur temporibus. JUSTINIANI verba laud. innituntur JCtorum hac de re sententiis: v. c. »si per venditorem vini mora fuerit quominus traderet, condemnari eum oportet, utro tempore pluris vinum fuit, vel quo venit, vel quo lis in condemnationem deducitur; item quo loco pluris fuit, vel quo venit vel ubi agitur: quod si per emptorem mora fuisset, aestimari oportet pretium quod sit cum agatur et quo loco minoris sit" (2); – »ideo in arbitrium judicis refertur haec actio, quia scimus, quam varia sint pretia rerum per singulas civitates regionesque, maxime vini, olei, frumenti," cet. (3); »nonnullam tamen" dicit PAULUS »pretio varietatem loca temporaque afferunt; nec enim tantidem Romae et in Hispania oleum aestimabitur; nec continuis sterilitatibus tantidem quanti secundis fructibus" (4); imo fieri potest ut quod alio loco precario acciperes, alio multum habeat valoris; et igitur alibi nullo, alibi magno pretio consistat: v. c. »si alimenta fuerint legata, dici potest, etiam aquam legato inesse, si in ea

(1) L. 19. D. *de per. et comm. rei vend.* (2) L. 3. § 3, 4. D. *de act. emt. et vend.* (3) L. 3. D. *de eo quod cert. l.* Add. l. 4. D. *de trit. vin. v. ol. leg.* (4) L. 63. § 2. D. *ad l. Falc.*

regione fuerint legata ubi venumdari aqua solet" (1): Igitur »si merx aliqua, quae certo die dari debebat, petita sit, veluti vinum, oleum, frumentum; tanti litem aestimandam CASSIUS ait, quanti fuisset eo die quo dari debuit: si de die nihil convenit, quanti tunc cum judicium acciperetur. Idemque juris in loco esse: ut primum aestimatio sumatur ejus loci quo dari debuit: si de loco nihil convenit, is locus spectetur quo peteretur; quod et de ceteris rebus juris est" (2).

Ei qui velit definire quantum fuerit certo loco per certum annorum spatium mercis cujusdam pretium commune, accurate igitur haec singula erunt perquirenda (3); et optimum huic PAULUS dat consilium, scil. ut caveat, ne pretium illud certum constituere conans, »ex momentis temporum nec ex ea quae raro accidat caritate pretia constituantur" (4).

At praeter has pretii diversitates, quae oriuntur ex loco et tempore vario, ex multitudine vel paucitate ipsarum mercium, alia quoque est ratio, quare valor mercis saepe mutetur; quae consistit in ipsa earum qualitate; nam praeter quam quod centies legimus de rebus quae usu, quae tempore, cet. fiunt deteriores, quae servando servari non possunt (5); quod (ut ipse quotidianus usus docet,

---

(1) L. 1. D. *de alim. v. cib. leg.* Add. l. 14. § 3. eod. Idem exemplum apud SAY legisse memini; BLANQUI, *Précis élémentaire d'Économie polit.*, p. 33. ait: »une verre d'eau a plus de prix dans un pays aride qu'au bord d'un fleuve, en été qu'en hiver," cet. (2) L. 4. D. *de cond. trit.* Add. l. 16. § 1, 2. D. *de fidej.* coll. cum l. 22. D. *de reb. cred.* et l. 22. D. *de obl. et act.* (3) Cf. SAY T. II. p. 95, sqq. (4) L. 63. § 2. D. *ad l. Falc.* (5) V. c. l. 7. § 1. D. *de adm. et per. tutt.*, l. 5. pr. D. *de hered. pet.*, l. 5. § 1. D. *de jure delib.*, l. 20. § 1. D. *de acq. vel om. her.*

sic JCti quoque (1):) magnam in pretio definiendo constituit differentiam; - praeter hanc, inquam, in quibusdam mercibus, et inprimis in illa frequentissima apud Romanos merce servorum, fieri potest, ut quamvis quoad adspectum quidem res eadem maneat, tamen ejus aestimatio minuatur.

Uti enim nummorum, sic omnium aliarum rerum, non corpora ipsa spectantur sed valor, qui pendet ab earum utilitate: neque multitudo harum rerum aliquem divitem facit sed aestimatio earum; quae aestimatio pecuniae summa plerumque exprimitur, quia haec facile ostendit quantum aliûs cujusdem mercis quis hac sua emere possit; id est quantum ejus sit pretium: - hinc patet, pauperiorem aliquem fieri vel ditiorem, quum aestimatio earum rerum minor majorve fit, cum utilitati ejus additur vel demitur; nec opus esse ut de rerum numero aliquid dematur eive addatur, sed in ipsa rei qualitate causam esse posse quare minoris majorisve aestimetur: sic v. c. servus: »plerique solent mancipia quae novicia non sunt, quasi novicia distrahere, ad hoc scilicet ut pluris vendant; praesumtum est enim, ea mancipia quae rudia sunt, simpliciora esse et ad ministeria aptiora et dociliora et ad omne ministerium habilia: trita vero mancipia et veterana difficile est reformare et ad suos mores formare" (2). Si dominus talem bene erudivit et excoluit, hic majoris aestimabitur; et dominus dicet »meis sumtibus pretiosiorem hominem feci"; nunc, si quis mores talis servi corrumpat, aestimatio hujus servi minor erit, et dominus ejus revera factus est pauperior: hanc ob rem »servi corrupti constituta actio

---

(1) Docent v. c. res illas primum vendendas esse. Cff. l. 6. D. *de jure delib.*, aliaeque multae. (2) L. 37. D. *de aed. ed.*

est, quia in patrimonio nostro esset, et pauperiorem se factum esse dominus probare potest" (1): si servus fugax sit, aestimatio ejus minor erit, quia non facile hunc emet quis, metuens ne pecuniam erogatam perdat, fuga servi: hoc notat ULPIANUS (2): »quo vilior factus est servus propter fugam, eo minus reddat." - Quod autem exemplo servi probavi, id de omni alia re valere probe intelligitur: si utilitas earum minuitur, pretium minui; si illa augetur, pretium augeri.

(1) L. 14. § 1. D. *de serv. corr.* (2) L. 5. § 3. D. *de cond. caus. dat. caus. n. s.*

CAPUT TERTIUM.

DE PRODUCTIONE EJUSQUE AUXILIIS.

Producere est creare utilitatem, non vero materiam: – **producta** sunt materialia vel immaterialia. Ad producendum tria sunt necessaria: I°. **Industria**, quae triplex est 1°. **agricultura**, quo refer metallifodinas et venationum species, 2°. **fabricae** s. opera tabernaria; insuper operum redemptores, 3°. **mercatura** s. mercium translatio de loco in locum; locatio vecturae. – Producta saepe duarum vel trium industriae generum operatione proferuntur. II°. **Sors**: – digressio de divitiis hominum: – pars divitiarum qua quis utitur ad producendum, dicitur **sors**: sors productiva consistit praeter pecuniam numeratam 1°. ex **instrumentis**, 2°. ex **materia**, 3°. ex **alimentis et mercede**. III°. **Vires ipsius naturae**; quarum usus vel proprius cuidam vel communis omnibus est.

Vidimus, pretium exprimere valorem quem homines rei tribuunt; vidimus, eum valorem pendere ab aestimatione quae in re ipsa est quaeve per eam acquiri potest; vidimus quoque aestimationem illam sitam esse in utilitate quam res in se habet: – sponte autem ex his sequitur ut, si velimus illud rei pretium augere, utilitas rei augenda sit; et illud est quod *producendi* nomine hic intelligam. *Producere* igitur est augere utilitatem; addere utilitatem rei quae jam utilis est, cive quae nullam habet tribuere

utilitatem: ipsa igitur materia non producitur; haec natura consistit (1): neque ullus fuit JCtus Rom. qui tale quid proferre ausus est, sed sive de argilla ex qua vas confectum est, loquatur, sive de litteris deve pictura, semper materiae ipsius habet rationem (2); distinguit quidem an species ad materiam reduci possit, numquam vero dubitat quin revera eadem maneat materia (3): ubique tamen agnoscunt aliquid additum esse rei quod aestimationem recipit; eaque est productio utilitatis. Ea autem utilitas vel perspici potest in rebus quae productae sunt; vel statim res utilis ut producta est consumitur, plerumque tamen ita ut utilitas ipsa maneat, quamvis materia sit absorpta. Haec est distinctio productorum quae dicuntur materialium et immaterialium (corporalium et incorporalium, ex Rom. dicendi ratione vocari possunt): ad quam distinctionem dein erit revertendum.

Ut autem utilitas ea possit produci, opus est industria; opus est pecunia aliisque rebus quae pecunia parari possunt; et insuper ipsius naturae ope: – inquiramus jam ex JCtorum Rom. sententia, qua ratione singula haec productionis auxilia invicem distinguenda sint, et quibus ex partibus consistant.

Tria potissimum industriae genera ponuntur: agricultura, fabricae (specificatio), mercatura (4).

Agricolarum industria producitur cum vel id quod natura sponte sua tribuit ab hominibus colligitur, veluti lana, fructus, radices, fimus, cet.; vel ex ejus opera, hominum

---

(1) Say T. I. p. 6, 13. (2) L. 9. D. *de acq. r. dom.*, § 25. Inst. *de divis. rer.* (3) Inst. l. l.: » si ea species ad materiam reduci possit'' coll. cum l. 24. D. *de acq. r. dom.*, ubi » materia manente'' signif. si rursus ad materiam priorem reduci possit: minime autem indicat, fieri posse ut prior materia pereat, alia existat. (4) Say T. I. p. 10.

industriâ excitata, percipitur, ut frumentum, plantatae arbores, cet. (1): ejus productis comprehenditur »quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest" (2), omnia »quae terra coalescunt" (3). Plena descriptio omnium quae ad hoc industriae genus pertineant reperitur in VALENTINIANI verbis his (4): »quod spatium et quid sit ruris ingenium, quid aut incultum sit aut colatur, quid in vineis, olivetis, aratoriis, pascuis, silvis fuerit inventum;... quot boum juga exercitiis terrarum atque vomeribus instruentium, quot pecorum et armentorum greges, et in qua diversitate numerati sint" cet.: adde ea »quae paludibus antea vel pascuis videbantur adscripta, si sumtibus possessorum nunc ad frugum fertilitatem translata sunt;" in quae loca publicas functiones THEODOSIUS exerceri vetabat, »ne doleant diligentes operam suam agri dedisse culturae, nec diligentiam suam sibi damnosam intelligant" (5). Sed praeterea *agriculturae* nomine comprehenduntur apes, lapidicinae, cretifodinae, arenae, metalla, aucupiorum et venationum reditus et piscationum (6); adeo ut si in his metallis v. g. vel lapidicinis »plus reditus est quam in vineis vel arbustis vel olivetis quae fuerunt;.... etiam haec dejicere poterit" (7). - Hi omnes fructus *naturales* dicuntur; qui qua ratione cum *civilibus* (ex re, naturâ quidem non frugifera, cujus tamen usus, necessarius, utilis, habet valorem) permutantur, tum videbimus, quum de productis immaterialibus ex professo agemus.

---

(1) L. 45. D. *de usur.* In Jure Rom. *hi* ad accessionem q. d. mixtam (l. 28. pr. eod.), *illi* ad occupationem (l. 78. D. *de rei vind.*) pertinent. (2) L. 9. pr. D. *de usufr. et qu.* (3) L. 9. pr. D. *de acq. r. dom.* (4) L. 7. C. *de bonis proscript.* (5) L. 3. C. *de alluv. et palud.* - Plane ut hodie tributa per certum tempus remittuntur iis qui lacus exsiccare, vel terram incultam colere instituant. (6) L. 9. § 1-5. D. *de usufr. et qu.* (7) L. 13. § 5. D. eod. Add. l. 18. pr. D. *de fund. dot.*

Alterum est *fabricarum* (1), cum manibus vel machinis suis homines speciem novam redigant ex naturae productis, ut ita haec magis usui nostro accommodentur: huc praeter specificationem ipsam pertinent tot tabernarum operae, quas enumerare plane esset inutile (2); insuper eo referas multos operarum redemptores (3); quod industriae genus a Romanis protegebatur: hinc »quod quis navis fabricandae vel emendae vel armandae vel instruendae causa vel quoquo modo crediderit, vel ob navem venditam petat, habet privilegium post fiscum" (4). Ceterum sufficiat hic monere, eorum fabrorum producta bene distingui a tertii generis productis: nam »*mercis* appellatio angustior est, ut neque ad fullones vel sarcinatores vel textores pertineat" (5): his autem praeter impensarum redditionem, pro industria sua solvitur: »fullo et sarcinator... pro *arte* mercedem accipiunt" (6).

Mercatura consistit in transferendo naturae s. agriculturae aut fabricarum s. hominum producta: neque igitur cogitari potest sine die intermedio, et loco a quo petitur et quo fertur (7); mercatores ex alio loco afferunt producta, quae tunc merces dicuntur, in alium et ibi vendunt (8); unde pro pretio venditarum plerumque novis emtis mercibus, eas in locum priorem transferentes, rursus vendunt: id enim maximum lucrum est cum ab utraque civitate pretii

---

(1) *Industria Technica*, ut dicitur a Cons. BOUCK, diss. jur. *de industria technica ope technicarum scholarum in patria nostra promovenda*. Lugd. Bat. 1838. p. 3. (2) Enumerantur aliquot in l. 12. C. *de excus. mun.* Cf. quoque GOTH. ad l. 15. C. Th. *de extraord. s. sord. mun.* (3) L. 2. D. *de cond. sine caus.*, l. 2. D. *de aq. et aq. pluv.* (4) L. 34. D. *de reb. auct. jud. poss.* Add. l. 26. eod. (5) L. 1. § 1. D. *de trib. act.* (6) L. 5. pr. D. *naut., caup., stabul.* (7) Cf. l. 2. § 6, 8. D. *de eo quod certo loco*, l. 60. D. *de verb. obl.* (8) Cf. l. 4. D. *de inst. act.*

vice non pecuniam, sed merces secum ducunt vendendas. Eaque apud Romanos maxime solita mercandi ratio fuit; nec metuebant ut ita compendii modus (*la balance de commerce*) in ipsorum detrimentum verteretur: exemplo contractus mercatorii Rom. id probabo (1): »Callimachus mutuam pecuniam nauticam accepit a Sticho servo Seji, in provincia Suria, civitate Beruto usque Brentesium, idque creditum esse in omnes navigii dies ducentos sub pignoribus et hypothecis, mercibus a Beruto comparatis et Brentesium perferendis, et quas Brentesio empturus esset, et per navem Beruto invecturus: convenitque inter eos, uti cum Callimachus Brentesium pervenisset, inde intra Idus Septembris quae tunc proximae futurae essent, aliis mercibus emptis et in navem missis, ipse in Suriam per navigium proficiscatur" cet. – Interdum autem producta jam parata emunt et dein vendunt (2); interdum materiam, unde dein fabricantur ea quibus egent homines; interdum tandem in diem emunt et dein vendunt (3): »quoties in diem... oleum quis stipulatur, ejus aestimatio eo tempore spectari debet quo dies obligationis venit" (4): »idem erit et si Capuae certum olei pondo dari quis stipulatus sit: nam ejus temporis fit aestimatio cum peti potest; peti autem potest, quo primum in locum perveniri potest" (5): denique omne lucrum mercatoris interdum spectatur in mercede ipsius vecturae, in ipsa transportatione (6); quam insignis autem haec mercaturae species fuerit, patet ex

(1) L. 122. § 1. D. *de verb. obl.* (2) L. 35. D. *de hered. inst.* (3) *Commerce de spéculation*, *accaparement.* (4) L. 59. D. *de verb. obl.* (5) L. 60. eod. Add. l. 8. D. *de contr. emt.*, l. 11. § 18, l. 12. D. *de act. emt. et vend.* (6) L. 11. § 3, l. 13. § 1. D. *loc. cond.*, l. 3. § 1, l. 4. § 2, l. 5. D. *naut.*, *caup.*, *stabul.*, l. 1. § 3. D. *de exerc. act.*, l. 5. D. *ad exhib.*, l. 10. § 9. D. *mand.*

paroemio »ad summam Remp. navium exercitio pertinet"(1). Sane qui neget Romanos mercaturae operam dedisse, eamve minoris fecisse arguat(2), numquam legit seriem mercium quae interdum enumerantur, non quotidiani tantum usus, ut legumina, connaba, frumentum, marmora »aliaque (3), sed Indicarum mercium, quas omnes fere notas nominat MARCIANUS (4), loco longiori quam ut hic inseratur.

Producta non ab uno tantum industriae genere proferuntur; plerumque ad unum productum, plurium industriae generum operatio necessaria est: ecce v. g. exemplum, ubi agricultura et fabricae coöperantur: »fructumque percipi, spica aut foeno caeso aut uva adempta, aut excussa olea, quamvis nondum tritum frumentum aut oleum factum vel vindemia coacta sit" (5); et, ubi agricultura et mercatura una ambulant ad producendum: »si quis ipsos cultores agrorum vel piscatores deferre utensilia in civitatem jusserit, ut ea ipsi distrahent, destituetur annonae praebitio, cum avocentur ab opera rustici qui confestim ubi detulerunt mercem, tradere eam et ad opera sua reverti debeant" (6); et, ubi tres species junctas vides: »si figulinas haberet, in quibus ea vasa fierent, quibus fructus ejus fundi exportarentur, sicut in quibusdam fit, ut amphoris vinum evehatur, aut dolia fiant, vel tegulae ad villam aedificandam" (7).

At parum industria sola prodesset, nec ea ad valorem producendum sufficeret, nisi simul uteretur quis iis quae

---

(1) L. 1. § 20. D. *de exerc. act.* (2) SAY, *Traité* (*Disc. prélim.*) T. I. p. XXXIV. (3) L. 1. § 12. D. *de exerc. act.* (4) L. 16. § 7. D. *de public. et vectig.* (5) L. 13. D. *quib. mod. ususfr.* (6) L. 2. D. *de nund.*: – quae lex argumento est, etiam Romanis distinctionem operarum (*séparation des travaux.* SAY T. I. p. 78, sqq.) melioiem visam fuisse. (7) L. 6. pr. D. *de servit. pr. rust.*

jam habet eorumve parte, ad sibi procurandum varias res jam productas, quibus in producendo eget; has sibi parat ex suis facultatibus.

Cum de divitiis alicujus sermo est, sive facultatibus, his non intelliguntur ea quae »naturali jure omnium communia sunt," ut aër, aqua profluens, mare, cet. (1); quamquam enim harum rerum usus omnibus conceditur et partem usus sibi quisque vindicat, tamen earum dominium nemini est concessum: divitiarum autem nomine ea tantum comprehenduntur quae sunt in dominio uniuscujusque privati, ut sunt agrorum fundi, nummi, merces, cet. (2); quo vidimus etiam nomina et actiones pertinere, ut pote quibus ea nobis parare possumus quae certum habent valorem. Summa harum rerum multifariarum quas quisque sibi proprias habet, varie a Romanis dicta fuit; alio loco *pecuniarum* nomine haec comprehenditur: »tantum quisque pecuniae relinquit quantum ex bonis ejus refici potest: sic dicimus centies aureorum habere qui tantum in praediis ceterisque similibus rebus habeat" (3); alio rursus loco dicuntur hae res alicujus *facultates* (4); interdum *substantia:* »cum etiam apud veteres haec esse substantia intelligatur, quae post distractum aes alienum supersederit" (5); tandem *patrimonii* nomine insigniuntur (6): et

---

(1) L. 2. D. *de div. rer.* § 1. Inst. *de rer. div.* (2) Say T. I. p. 1, sq. (3) L. 88. D. *de verb. sign.*, l. 178. pr., l. 222. eod. (4) V. c. l. 50. D. *de judic.*, l. 10. D. *qui et a quib. man.*, l. 4. C. *ad Sct. Tertyll.* (5) L. 8. § 4. C. *de bon. quae lib.* Add. l. 58. § 3. D. *de adm. et per.*, l. 3. § 5. D. *de susp. tut.*, l. 6. § 7. D. *de excus.*, l. 16. pr. D. *ad Sctum Treb.*, l. 6. D. *qui et a quib. man.*, l. 4. § 20. D. *de usurp.*, l. 51. § 1. D. *de doli m. et met. except.*, § 8. Inst. *de societ.*, § 2. Inst. *de vi bon. rapt.*, l. 18. C. *ad l. Falc.*, l. 2, l. 6, l. 8. § 3. C. *de bon. quae lib.* (6) L. 50. D. *de judic.*, l. 3, l. 31. § 4. D. *de excus.*, l. 71. D. *de leg. II*, l. 23. D. *de adim. v. transf. leg.*

ut ostendam his idem significari, hunc locum apponam: »in aliis autem casibus nomen familiae pro *substantia* oportet intelligi; quia et servi et aliae res in *patrimonio* uniuscujusque esse putantur" (1).

Harum divitiarum pars, vel hae facultates quibus quis utitur ad suum patrimonium augendum, ad novum valorem producendum, dicitur *sors:* quo vocabulo quamvis praecipue pecuniae multitudo intelligatur quae profert usuras et, ut ita dicam, productive adhibetur (2), eo tamen reliquae res quae ad producendum adhibentur non necessario excluduntur; mihi saltem, quum jam probavi pecuniae non ipsam respici substantiam sed aestimationem; omnesque alias res tam pecuniae nomine comprehendi quam in pecuniam redigi posse, hac *sortis* voce uti liceat, ut notem illam divitiarum partem qua quis utitur in negotio quodam excolendo, ut suas facultates augeat, et novas sibi paret, id est ad producendum: quae vox illud habet commodum, ut accurate referat vocabulum quo recentiores Oeconomi ut idem notent utuntur (3).

Ut jam eo redeamus unde sumus deflexi; praeter industriae genus igitur qualecunque, sorte opus est ad producendum: et haec sors, si in pecunia tantum constaret, ipsi non opitularetur; necesse est, ut ea pecunia sibi acquirat res quasdam alterius sive producta; nam vidimus jam, omnia quae exstant esse producta simul ac vel collecta vel hominum manibus aut arte confecta vel extrinsecus allata sunt: unusquisque igitur sortem suam qua utitur ad producendum in partes dividit, ut sibi acquirat:

---

(1) L. 5. C. *de verb. et rer. sign.* (2) Cf. l. 58. § 4. D. *de adm. et per. tutt.* (3) *Capital.* SAY T. I. p. 27, sqq.

1°. instrumenta necessaria ad operandum, ad terram colendam, ad fabricandum, ad navigandum vel vehendum: quo refer etiam constructiones majores, machinas, jumenta, operarios, cet.: 2°. ad alimenta sibi praestanda, donec opus illud in quo occupatus est, reddat ei summas hanc in rem impensas: 3°. eget materia quam transformare possit in producta; quae interdum ab ipsa natura gratis tribuitur, plerumque autem jam existit et ab aliis producta est. Triplicem hanc sortis productivae divisionem jam probabimus notam fuisse Romanis et a JCtis sedulo esse distinctam. Quum autem omnes sciant in Corpore Juris Politicen non data opera tractari neque igitur oeconomicam harum rerum quas dixi ibi inveniri disquisitionem, - nemo etiam hoc in loco potest exspectare ut ex talibus JCtorum fragmentis hoc argumentum tam culte atque ornate expositum referam ac illud disposuerunt recentiores: modo probem ex diversis locis, eam sortis divisionem de qua nunc loquimur, iis cognitam fuisse et bene illos inter tres has sortis productivae partes distinxisse, - nihil nocebit vel haec aliis minus ad rem facientibns esse mixta vel aliis interdum expressa verbis atque nunc Oeconomi utantur.

Nota interim pecuniam numeratam ipsam nullo usui esse huic productioni, nisi in quantum faciliores reddat permutationes, sine quibus productio locum habere non posset: et plerumque haec pecuniae nnmeratae pars est totius sortis minima; imo interdum, ut apud agricolas v. c., fere nulla: hinc »domini praediorum id quod terra praestat, accipiant, pecuniam non requirant, quam rustici optare non audent" (1).

---

(1) L. 5. C. *de agricol. et cens.* Add. SAY T. I. p. 29.

Probabo igitur JCtos Rom. distinxisse inter instrumenta, materiam et alimenta; atque tres eas partes sortis necessarias duxisse ad producendum, vel ut ii dicebant ad fructus percipiendos; idque in tribus industriae generibus pariter observasse: ne tamen diutius haec nos morarentur, imprimis unam agriculturam (1) spectabimus, ita tamen nt cetera industriae genera non plane omittamus: si enim in ipsa, ejusque variis partibus bene distinxerunt, sane de ceteris non minus recte cogitarunt.

» In instrumento fundi ea esse," inquit ULPIANUS, » quae fructns quaerendi, cogendi, conservandi gratia parata sint, SABINUS ... evidenter cnumerat: quaerendi, veluti homines qui agrum colunt, et qui cos exercent praepositive sunt his; quorum in numero sunt villici et monitores, praeterea boves domiti et pecora stercorandi causa parata, vasaque utilia culturac, quae sunt aratra, ligones, sarculi, falces pntatoriae, bidentes et si qua similia dici possunt: cogendi, quemadmodum torcularia, corbes, falcesque messoriae, falces foenariae, quali vindemiatorii, exceptoriique, in quibus uvae comportantur: conservandi, qualia snnt dolia, licet defossa non sint, et cupae" (2): imo quam maxima servorum copia ad instrumentum pertinere potest: » constat eos qui agri gratia ibi sunt, instrumento contineri" (3): - » de grege ovium distinguendum est, ut, si ideo comparatus sit, ut ex eo fructus caperetur, non debeatur [in instrumento fundi legato]; si vero ideo quod non aliter ex saltu fructus percipi possunt, contra erit, quia per greges fructus ex saltu percipiuntur" (4).

(1) Hanc potius sumo, quoniam haec exempla magna in parte deprompta erunt ex tit. D. *de instructo vel instrumento legato*, ubi praesertim ad terrae fundum respicitur. (2) L. 8. pr. D. *de instruct. vel instr. l.* (3) L. 12. § 2. eod. (4) L. 9. eod.

Vide ex hoc postremo loco, quam acute materiam distinxerint JCti ab instrumento: grex est materia, si comparatus est ut fructus ex eo capiatur: est vero instrumentum, si ideo est in fundo ut, eorum scilicet stercore, ex fundo, ex saltu fructus percipiatur (1). Mirum est, eandem probam distinctionem a non omnibus JCtis factam fuisse circa semen, sive illud frumentum quod serendi causa sepositum est: nam fuerunt nonnulli qui id instrumento annumerarent, quia culturae inserviebat: alii rursus cibariis addebant (2): utriusque sententia valde improbanda; sed error inde ortus est quod non magna esset hujus copia, et ad alimenta aeque aptum ac ad serendum. – Semper autem memoria tenendum est, juridice eos non vero politice rem explicâsse; et quamvis hic legatarii causa aliter censuerint, tamen si quaestio oeconoma iis fuisset proposita, verosimile esse ut bene responderint (2), ut de grege ovium jam vidimus; et ut ex alio exemplo industriae fabricatoriae insuper probabo. Inquit PAULUS (3): »cum

---

(1) Si SAY id exemplum tenuisset, non tam ridicule probasset gregem machinae loco posse haberi, quam facit T. I. p. 61. not. 1. »On peut encore se représenter un troupeau comme une machine à faire de la viande ou de la laine. Mais dans les cas pareils la machine ne pourrait être suppléée par aucune quantité quelconque de travail humain.'' (2) Idem valet de eo principio oeconomo: terrae fundum non esse nisi magnam productionis machinam: eam hîc frustra quaereres; agitur enim de ipsius fundi instrumento, non de instrumento productionis: – sufficit, si ostendam, in aliis industriae generibus eos probe distinxisse materiam inter et instrumentum. — At hîc operae pretium est animadvertere, in definienda operatione productiva fundorum, ipsos recentiores Oeconomos sibi non constitisse; ipsum terrae fundum, quem sortis instrumento annumerant (SAY T. I. p. 61, BLANQUI *Précis* Ch. II. p. 36), non accurate distinguentes a vi naturae, fundo insita, quae pertinet ad naturalium virium operationem (*services productifs des agens naturels*, SAY T. I. p. 39, sq., BLANQUI l. l. p. 43). (3) L. 18. pr. D. *de instruct. vel instr. l.*

de lanionis instrumento quaeritur, *semota carne*, mensas, pondera, ferramenta et alia quae laniandae carnis causa parata sunt, item trutinas, cultros, dolabras, instrumento relinquimus:" - quare carnem seponebat? Quia optime sciebat, hanc materiam esse quocirca lanionis industria versabatur, non vero instrumentum.

Alimenta distincta rursus et ab instrumento et a materia: sic »quaesitum est, an frumentum quod cibariis cultorum paratum foret, instrumento cederet? Et plurimis (1) non placet, quia consumeretur; quippe instrumentum est apparatus rerum diutius remansurarum (2), sine quibus exerceri nequit possesio (3): »accedit eo, quod cibaria victus magis quam colendi causa pararentur" (4). Quam accurate! pertinent cibaria non proprie ad colendum, sed ad victum eorum qui colunt, quique instrumentorum loco adhibentur ad colendum (5).

Jam probandum est, singula ea revera sortis esse partes productivae. Atque ipsis verbis hoc affirmatur de instrumento: »si praeter mercem servus iste in tabernam habeat instrumentum: an hoc quoque tribuatur? Et LABEO ait, et hoc tribui, et est aequissimum: plerumque enim hic apparatus ex merce est, imo semper" (6): id est, ex pretio aliarum mercium jam venditarum illa instrumenta sunt parata. *Instrumenti* verbum legale esse pro ea *sortis* parte quae ad industriam excolendam adhibetur, ex eo

---

(1) Ii qui contrarium statuerunt, horum servorum alimenta sine dubio, nec plane inepte, assimilaverunt instrumentorum reparationibus et requisitis, v. c. oleo, quo machinae ferreae humectantur. Cf. SAY T. I. p. 28. (2) Cf. quam mire haec conveniant cum iis quae SAY dicit T. I. p. 103, sq. (3) SAY T. I. p. 27 inquit: »le cultivateur ne saurait rien faire sans sa pioche," cet. (4) L. 12. pr. eod. (5) Cf. SAY T. I. p. 27. (6) L. 5. § 13. D. *de trib. act.*

constat, quod non de *agri* tantum instrumento sermo sit, sed etiam de instrumento tabernae cauponiae(1), balneario(2), pistrini (3), piscatorio (4), lanionis (5), navis(6), et universe tabernae (7), quae differebat pro manuum opera vel negociatione quae ibi exercebatur (8); imo etiam de instrumento pictorio(9), et medici (10). Ceterum hic rursus valet quod modo de terrae fundo diximus; instrumento hic ipsa taberna non annumeratur, quia agitur de legato instrumento quod in taberna erat, non vero de productionis instrumento: de hoc enim si scribendi occasio fuisset, certe annumerassent. Hanc autem meam assertionem ex eo probabo, quod si ipsa testamenti verba aliquam laxandi occasionem tribuunt, hac avide fruuntur JCti; v. c. »videndum ne inter instrumentum *tabernae cauponiae* et instrumentum *cauponae* [i. e. ipsius industriae, quae circa cauponiam versatur] sit discrimen, ut *tabernae* non nisi loci instrumenta sint, ut dolia, vasa, ancones, calices, trullae, quae circa coenam solent trajici; item urnae aeneae et congiaria, sextaria et similia: *cauponae* autem, quum negociationis nomen sit, etiam institores" (11): sic *instrumento balneario* continentur balneator et fornicator, servi qui in *balnearia taberna* legata non intelligerentur (12). – Materia quoque adeo sortis pars est, ut si quis ex aliena materia sibi quid fabricaverit, domino vel pretium vel ipam rem confectam deductis impensis reddere debeat; unum addo exemplum: »certe si dominus soli petat aedificium, *nec solvat pretium materiae*, et mercedes fabrorum,

(1) L. 13. pr. D. *de instruct. v. instr. l.* (2) l. 1. § 1, l. 17. § 2. eod. (3) L. 13. pr., l. 18. § 1. eod. (4) L. 17. § 1. eod. (5) L. 18. pr. eod. (6) L. 29. eod. (7) L. 15. pr., l. 23. eod. (8) L. 23. eod. (9) L. 17. pr. eod. (10) L. 18. § 10. eod. (11) L. 13. pr. eod. (12) L. 13. § 1, l. 14. eod.

poterit per exceptionem doli mali repelli" (1). – Impensae autem in alimenta factae, tam ipsius domini quam servorum quibus utitur ad artem excolendam, itidem fiunt ex sorte quae ad ipsam productionem adhibetur; etiam illud JCti Rom. tenuerunt: »in rem versum videtur, si id ipsum quod servus acceperit in rem domini convertit: veluti si triticum acceperit, et id ipsum in familiam domini, cibariorum nomine, consumserit,... sive cum servus domini negotii gerendi administrandive causa,... mutuatus sit pecuniam, ut frumentum compararet ad familiam alendam, vel si ad vestiendam" (2): – »impensae in alimenta cottidianae sunt, et si hereditatem accipiens, ea abutaris laute, non fis locupletior, nisi in tantum quantum quotidie solebas erogare in alimenta" (3); et illae impensae dein ex quaestu industriae suae debent refundi, et quaestus rursus partim debet in alimenta impendi: hinc »tempus debet esse liberto ad quaestum faciendum, unde ali possit" (4).

Tertio vero, praeter industriam et sortem, egemus adjumento, eoque pervalido, naturae scil. sive virium naturae coöperatione (5). Per hanc terra coalescunt plantae (6); per hujus vires in corpore hominum et animalium existit robur et fortitudo; ejus ope machinae et instrumenta utuntur fere omnia; et nulla sane industriae species est, quae ut excolatur, majori minorive ratione, naturae vires non desiderat. Quamvis autem, ut fas est, non multis locis

(1) L. 7. § 12. D. *de adq. r. dom.* (2) L. 3. § 1. D. *de in rem verso.* (3) L. 25. § 16. D. *de hered. petit.* (4) L. 19. D. *de oper. lib.* Cf. SAY T. I. p. 43: »leur salaire doit suffire à la vérité à l'entretien constant de leur habit, mais enfin il en font l'avance." (5) »*Agens naturels, service productif des agens naturels.*" SAY T. I. p. 32, sq. (6) L. 9. pr. D. *de acq. r. dom.*

hac de re agatur; tamen ex iis quae dicuntur liquet, agnovisse Romanos virium naturalium necessitatem, earumque producendi vigorem, aliis nullis rebus supplendum. Pulcherrimus locus, quem hac de re citabo, confido ut hanc quoque scientiae partem illis vindicet: »quum... apertissimi juris est, fructus aridos conculcatione quae in area fit, suam naturam et utilitatem ostendere, aliquis vicinum suum vetabat, ita aedificium extollere juxta aream suam, ut ventus excluderetur, et paleae ex hujusmodi obstaculis secerni a frugibus non possent, quasi vetito vento suam vim per omnem locum inferre ex hujusmodi aedificatione, quum secundum situm regionis et [i.e. etiam] auxilium venti aream accedit: sancimus itaque, nemini licere, sic aedificare vel alio modo versari, ut idoneum ventum et sufficientem ad praefatum opus infringat, et inutilem domino aream et fructuum inutilitatem faciat" (1).

Sed quid aio? omnis doctrina de servitutibus tam rusticis quam urbanis hoc nititur fundamento: semper observanda vis naturae, quae praebere debet utilitatem suam, et qua interdum frui prohibemur: aqua opus est ad fundum irrigandum, et ad molarum operationem (2); itinere ad lignum ex silva ducendum (3); sole ad solarium vel heliocaminum (4): has autem aliasve servitutes *fructuum* tantum et *utilitatis*, id est *productorum*, ratione habita constitui ex multis locis probatur: - utilitas exigit, ut reponatur aedificium (5); » pecoris pascendi servitus, item ad aquam appellandi, si praedii fructus maxime in pecore consistat, praedii magis quam personae videtur" (6): hinc non sine

(1) L. 14. § 1. C. *de serv. et aq.* (2) Cf. l. 4, l. 10. C. eod., et totus fere D. tit. *de serv. praed. rust.*, l. 31. § 7. D. *de neg. gest.* (3) L. 14. pr. C. eod. (4) L. 17. D. *de serv. praed. urb.* (5) L. 20. § 2. eod. (6) L. 4. D. *de serv. praed. rust.*

praediis servitutes cogitari possunt (1). Adde his quae de alluvione, ut ipsius naturae opera productiva, disseruerunt JCti (2). Eas autem vires naturae vel proprias sibi quis habet, uti vires productivas quae in terrae fundo sunt, saltem earum usum proprium; vel, ut in plerisque, utitur vi naturae communi omnibus; ut modo de vento vidimus.

(1) L. 1. § 1. D. *comm. praed.*, l. 6. § 3. D. *si serv. vind.*
(2) Cf. v. c. l. 56. D. *de adq. r. dom.*

CAPUT QUARTUM.

DE OPERATIONE EORUM QUAE NECESSARIA SUNT AD PRODUCENDUM.

Non opus est ut in productione ejusdem sint sors vel vires naturales, cujus industria est; locatione et conductione enim id quod ex tribus deest potest parari. – Operatio industriae: – digressio de servi et liberti industris productiva; merces locationis, s. industriae, s. terrae fundi, s. sortis, – est pretium usus: – in omni industria triplex est opera: 1°. docti s. inventoris: – digressio de productis immaterialibus: – 2°. redemptoris industriae: – 3°. mercenaria servorum, operariorum: haec opera mercenaria differt in singulis hominibus. – Operatio naturae: non ubique eadem est; differt pro variis agris et anni tempestatibus: hinc multa privilegia agricolis data. – Operatio sortis: opera variarum sortis productivae partium: quamvis mutentur singulae sortis partes, semper manet eadem sors. – digressio de peculio servorum, ut singulari sorte productiva domini.

Jam videamus, quî operationes industriae, naturae ac sortis concurrant ad producendum; et quaenam in producendo sint diversa earum et officia et fata. Tria, diximus, ad producendum necessaria sunt; necessaria sunt, ut simul et una producant res utiles et proinde valorem habentes: at hinc non sequitur, ut idem tria illa sibi propria habere

debeat; fieri potest, ut unus sortem, alter terrae fundum (vel ejus vim naturalem insitam), tertius industriam propriam teneat: – homo mutuam praestare potest suam industriam ei qui sortem et terrae fundum possidet; qui sortem habet, illam credit ei qui industriam tenet et terrae fundum; vel tandem qui terrae fundum habet, eum usui dare potest afferenti sortem et industriam (1): quidquid autem horum cogites, quoniam coöperantur ubique valori cuidam creando, necesse est ut habeant valorem in se; ut eorum usus aestimationem patiatur pecuniariam: et revera ita est; nam id quod pro industria mutuo data solvitur, vocatur salarium; usus sortis alienae aestimatur usuris; quod pro usu terrae fundi datur, merces dicitur. Romani tria haec utendi genera denotabant locatione cond. operarum, credito pecuniae, locatione cond. fundi.

At priusquam horum omnium ex Rom. JCtorum sententia rationem explicare possim, necesse est pauca praemittere de servis et libertis, deque horum conditione apud Romanos; quantum scil. huo pertineat.

Animadvertimus jam servum partem effecisse patrimonii ejus qui erat dominus (2); sed interdum servum plane distinctum cogitant JCti a reliquis alicujus facultatibus; tum ipse servus (ille scil. qui adhibetur ad producendum, ad acquirendum) solus sortis loco est, et sorti acquiparatur: »quodcunque per servum acquiritur, id domino acacquiritur" (3); »ut sortem aliquis amittere potest, sic et servum:... ut deteriorem reddere, sic et servum" (4). Usus productivus servi praecipue duplex pendebat et a ceteris

(1) Say T. I. p. 42. (2) Ex l. 5. C. *de verb. et rer. sign.*
(3) L. 1. § 1. D. *de his qui sui v. al. jur.*, l. 10. D. *de acq. r. dom.*
(4) L. 9. § 2, 3. D. *de serv. corr.*

domini facultatibus et ab ipsius servi praestantia: - vel enim (1°.) praeponitur toti negotio v. c. »si quis pecuniis foenerandis, agris colendis, mercaturis redempturisque faciendis praeponit servum;" »sed et si in mensa habuit quis servum praepositum" (1); »sed et si tabernarius servum suum peregre mittat ad merces comparandas" (2); vel »homo provincialis servum institorem vendendarum mercium gratia Romae" habeat (3); »servum merci oleariae praepositum Arelatae" (4); sic alio loco dicit quis: »servus cujus mihi usus legatus est, acquirit mihi si institor sit, et operis ejus utar in taberna; nam mercibus emundis vendundisque acquirit mihi" (5): hinc actiones exercitoriae et institoriae, cet. (6): - vel (2°.) opera servorum tantum utitur quis ad fabricandum, navem v. g., ad manuum operam, ut in colendo agro: utitur autem vel ipse (7), vel has operas aliis locat (8); semper fructus servi consistit in opera ejus vel mercede (9): »in hominis usufructu operae sunt, et ob operas mercedes" (10). - Liberti quoque patronis debebant operas vel officiales vel fabriles (11); illas mittamus, hae huc pertinent. Si operis his ipse non uti possit, alii eas potest locare; et adeo similis est tunc opera mercedi, ut quamvis revera mercedem ex liberti opera acquirere non liceat, tamen hic videatur operis tantum (quasi pecuniae forma ei traditis) uti: v. c. »patronus qui operas liberti sui locat, non statim intelligendus est mercedem

(1) L. 5. § 2, 3. D. *de inst. act.* Add. § 6, l. 16, cett. (2) l. l. § 7. Add. l. 16. D. *de in rem verso*, l. 3. § 14. D. *ad exhibend.*, l. 1. § 5. D. *de serv. corr.* (3) L. 19. § 3. D. *de judic. et ubi.* (4) L. 13. pr. D. *de inst. act.* (5) L. 20. D. *de usu et hab.* (6) § 2. Inst. *quod cum eo qui in al.* (7) L. 41. pr. D. *de fideic. libert.*, cett. (8) L. 14. pr., l. 17. D. *de statuliber.*, cett. (9) L. 11. D. *comm. div.*, l. 4. D. *de oper. serv.* (10) L. 3. D. eod. (11) L. 26. § 12. D. *de cond. indeb.*

ab eo capere, sed hoc ex genere operarum, ex persona patroni, atque liberti colligi debet. Nam si quis pantomimum vel archimimum libertum habet, et ejus mediocris patrimonii sit, ut non aliter operis ejus uti possit quam locaverit eas, exigere magis operas quam mercedem capere existimandus est" (1).

Jam, qui locat usum servi vel liberti, revera locat id quod, si servum ipse in operis adhibuerat, acquirere potuisset: et plane similis est ei qui fundum locat; utpote qui etiam locat utilitatem quae in fundo est, necessariam ad productionem: locat id quod ex recentiorum doctina dicitur *services productifs* ejus servi, ejus fundi, ejus instrumenti (2). Aestimationem autem horum quae dicam officiorum productivorum revera eandem esse in servo et in fundo locato, apparet ex his locis: »hae operae recipiunt aestimationem; et interdum, licet aliud praestemus, aliud condicimus: ut puta, fundum indebitum dedi, et fructus condico: vel hominem indebitum, et hunc sine fraude modico distraxisti; nempe hoc solum refundere debes quod ex pretio habes: sic et in proposito [scil. si libertus operas indebitas praestiterit, quid possit repetere?] posse condici, quanti operas essem conducturus [si ipsius operis usus non essem]" (3); »sic, habitatione data, pecuniam condicam, non quidem quanti locare potuerit, sed quanti tu conducturus fuisses" (4); »servus qui testamento domini, cum decem heredi *dedisset*, liber esse

---

(1) L. 25. pr. § 1. D. *de oper. libert.* quacum confer l. 29. D. *de hered. petit.*: »*operae* quoque servorum in eadem erunt causa qua sunt *pensiones*. Item vecturae navium et jumentorum."
(2) Say T. II. p. 213. Cf. ejusdem *Catéchisme d'Écon. Pol.* Ch. 7.
(3) L. 26. § 12. D. *de cond. indeb.* Add. l. 54. § 1. D. *de verb. obl.*
(4) L. 65. § 7. D. *de cond. indeb.*

jussus erat, heredi *mercedem* referre *pro operis* solebat; cum ex mercede heres amplius decem recepisset, servus [se] liberum esse aiebat: de ea re consulebatur [JCtus]. Respondit, non videri liberum esse; non enim pro libertate sed pro operis eam pecuniam dedisse; ***nec magis ob eam rem liberum esse, quam si fundum a domino conduxisset, et pro fructu fundi pecuniam dedisset***" (1); mercedes plane a colonis acceptae loco sunt fructuum" (2).

Ipsa vero locatio fundi nihil aliud est, quam usum fundi (sive potius officia fundi productiva) per certum tempus vendere; ut ex his locis patet: »locatio cond. proxima est emtioni vend.; nam ut emtio vend. ita contrahitur, si de pretio convenerit; sic et locatio cond. ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit" (3): »quae enim locatio est, cum merces non intercessisset" (4); hinc quemadmodum in emendo vend. naturaliter concessum est, minoris emere et pluris vendere, »ita in locationibus quoque et cond. juris est" (5): imo adeo hoc verum est, usum fundi vendi, et omnino in locatione rei alicujus, hujus vendi usum, utilitatem, officia productiva, ut revera *mercedem* hoc sensu *pretium* dicere possis: »siquidem nummo uno conduxerit, nulla dubitatio est, quin ei precarium solum teneat; quia conductio nulla est, quae in uno nummo: sin *vero pretio*, tunc distinguendum, quid prius factum sit" (6); et alio loco »*usurae* centesimae, *justum pretium*" (7).

Recte; nam mutuum et creditum pecuniae non est nisi locatio sortis; est tantummodo omnium maxime vul-

---

(1) L. 14. pr. D. *de statulib.* (2) L. 29. D. *de hered. petit.* (3) Pr. Inst. *de loc. cond.* (4) L. 23. D. *comm. div.* (5) L. 22. § 3. D. *loc. cond.* (6) L. 10. § 2. D. *de acq. v. om. possess.* (7) L. 6. § 1. C. *de sec. nupt.*

gare exemplum ejusdem illius principii, unde profecti sumus: scil. non necesse esse ad producendum ut industriam, sortem, et operam naturae idem sibi propriam habeat. – Quum igitur in superioribus probavi, de usu alienae industriae (in conductis servis), et naturae virium alii propriarum (in conducto terrae fundo), ad producendum adhibito, jam de sorte credito accepta in diversis industriae generibus, nonnulla submittam. Sic, legimus de eo, qui »piscatori erogaturo in apparatum plurimum pecuniae dederit" (1); »qui redemptori [aedis exstruendae] (2) nummos ministravit" (3); qui »mutuam pecuniam alteri ex sociis dedit" (4); qui »pecuniam sub usuris crederet ei, qui in rem ipsius mutuaretur" (5). – Neque enim licet statuere, aliam mutuae pecuniae, aliam omnium aliarum rerum locatarum esse causam, quia illa usu consumitur, hae manent: jam enim vidimus, pecunia uti quem non posse, nisi eroget; sed simul vidimus eam pecuniam quam illius loco recipit, revera esse plane eandem: »non alienantur nummi, qui sic dantur ut recipiantur" (6). Sed ecce jam novum argumentum: »quaesitum est, an corpora pecuniae quam idem debitor ab alio mutuam accepit, cum in bonis ejus facta sint, obligata creditori pignoris esse coeperunt? respondit, coepisse" (7): – et ipse D. tit. *de rebus creditis* idem abunde docet: »credendi generalis est appellatio; ideo sub hoc tit. Prae-

(1) L. 5. pr. D. *de naut. foen.* (2) Idem est, quem SAY vocat *entrepreneur d'industrie*, T. I. p. 48. (3) L. 1. D. *in quib. caus. pign.* (4) L. 8. § 3. D. *de neg. gest.* (5) § 2. Inst. *de mand.* (6) L. 55. D. *de solut.*, ubi vox *recipiantur* de recipiendo genere, non specie intelligenda est; recipiantur, scil. non iidem nummi, sed eadem pecuniae summa. (7) L. 34. § 2. D. *de pignor.*

tor et de commodato et de pignore edixit; nam cuicunque rei assentiamur alienam fidem secuti, mox recepturi quid ex hoc contractu, *credere* dicimus" (1): » creditum a mutuo differt qua genus a specie: nam creditum consistit extra eas res quae pondere, numero, mensura, continentur; sicuti si eandem rem recepturi sumus, creditum est. Item mutuum non potest esse, nisi proficiscatur pecunia [i. e. erogetur]: creditum autem interdum, etiamsi nihil proficiscatur, veluti si dos post nuptias promittatur" (2); » mutuum damus non recepturi eandem speciem, quam dedimus; sed idem genus: ... quoniam eorum datione possimus in creditum ire: quia in genere suo functionem recipiunt per solutionem [magis] quam specie" (3). – Nunc cum *mutuum* conveniat locationi cond. pecuniae sub usuris, totum *creditum* (quoad usum saltem) convenit cum locatione cond. universe: differentia ea tantum est, utrum usuras accipias, id est, utrum rem tuam adhibeas productive, nec ne.

Contrahamus jam dicta. Patebit, Romanis notum fuisse et a JCtis Rom. bene observatum, non necesse esse, ut sors, industria, et naturae opera, in ejusdem dominio sint ad producendum: saepe contra fieri, ut fundus (vis naturae) alii locetur, ut servi opera s. industria alii utenda detur pro mercede, ut pecunia ipsa mutuo detur sub usuris, - ei cui alterum vel duo ex tribus jam adsunt ad producendum. Id autem quod pro usu locato trium harum specierum solvitur, ut modo vidimus, inter se convenit (4).

(1) L. 1. D. *de reb. cred.* (2) L. 2. § 3. eod. (3) L. 2. pr., § 1. eod. (4) Add. SAY T. III. p. 303. » Le salaire est relativement au profit industriel, ce que l'intérêt est au profit du capital; ce que le fermage est au profit d'un fonds de terre."

Nunc cum notavimus, qui concurrere debeat et possit sors, natura, et industria ad productionem, de distincta singulorum horum auxiliorum operatione separatim agendum est; et primum de operatione industriae.

In omni industriae genere triplex opera requiritur; ejus qui invenit, id est docti; ejus qui has inventas scientias applicat, id est redemptoris industriae; ejusque qui sequitur jussa redemptoris et pro mercede ipsi manuum operam praebet: plerumque tres hae operarum species sunt separatae; interdum tamen junctae.

Opera prior est ejus qui invenit (1), qui docuit theoriam, ut ita dicam. At hujus opera ejusque concursus ad producendum recte intelligi nequit, antequam de illo Oeconomiae principio quaedam dixerimus: esse producta quaedam quorum forma statim consumitur, utilitas interdum diutius manet, interdum etiam statim percepta perit. Recentiores ea vocarunt producta immaterialia (2); Romani, rem bene tenentes, certo illam vocabulo non enunciaverunt.

Producta immaterialia existunt, vel ex industria, vel ex terrae fundo, vel ex omnibus simul. – Ex industria oritur v. g. utilitas quam medicus praestat in curandis morbis (3); quamvis enim statim consumatur haec ab aegroto, tamen valorem habet aestimabilem sitam in mercede quam accipit pro visitatione (4): interdum agitur de opera agrimensorum, contra quos quamvis ex locato cond. actio non competit, tamen non multum ab eo differre judicaba-

---

(1) *Les occupations du savant*, SAY T. I. p. 37, sq., T. III. p. 276. (2) *Produits immatériels*, SAY T. I. p. 134. Romanorum menti magis conveniret distinctio in producta corporalia et incorporalia, fructus corporales et incorporales. (3) L. 20. D. *quemadm. serv. am.*, l. 8. pr. D. *ad l. Aquil.* (4) L. 26. D. *de oper. lib.*, § 1. Inst. *de obl. quae quas. ex del.*

tur (1); interdum legimus de iis qui » societatem coierunt, ut grammatica docerent" (2), sine dubio ut pretium operae inter se dividerent. Talis industriae studens eget quoque instrumentis, tum aliis (3), tum imprimis libris: » studiosum alicujus doctrinae posse dicere sua interesse, illos aut illos libros sibi exhiberi, quia si essent exhibiti, cum eos legisset, doctior et melior futurus esset" (4). - Utilitas ex sorte, est v. g. in servis tibicinibus (5), equis quadrigis (6), quorum adspectus et auditus aures oculosque jucunde afficit, et quae optime potest aestimari (7); universe » res mobiles vel immobiles, steriles quidem non tamen inutiles; veluti domus in provinciis pretiosae, vel ubicunque posita aedificia vel suburbana" (8): » sunt in urbe aedes quarum cultu decus urbium potius quam fructus acquiritur" (9). Insuper eo pertinent omnia quae suppellectilis nomine comprehenduntur; quaenam sint, docetur hoc loco (10): » suppellectilis legato haec continentur: mensae, trapezophora, delphicae, subsellia, scamna, lecti etiam inargentati, culcitrae, toralia, imperia, vasa aquaria, pelves, aquiminalia, candelabra, lucernae, trullae:" verbo, omnia quae utilia sunt; nec ad rem facit, utrum pretiosa sint nec ne (11); nimis tamen pretiosa potius ad luxum pertinere videntur et ornamenta (12): bene igitur distinguitur utilis illa supellex *et* ab iis quae » magis deliciarum quam usus causa" parata sunt, qualia sunt » vasa

---

(1) L. 1. pr. D. *si mensor. fals. mod. dix.* (2) L. 71. pr. D. *pro soc.* (3) L. 18. § 10. D. *de instruct. v. instr. l.* (4) L. 19. D. *ad exhib.* (5) L. 22. § 1. D. *ad l. Aquil.* (6) § 10. Inst. *de lege Aquil.* (7) L. 22. § 1. l. (8) L. 8. § 4. C. *de bonis, quae liberis* cet. (9) L. 2. C. *de praed. et omn. rer. nav.* cet. (10) L. 3. pr. D. *de suppell. leg.* Add. l. 3, l. 7. § 1. eod. (11) L. 10. eod. (12) L. 25. § 10. D. *de aur., arg.* cet.

aenea salientis aquae" (1), *et* ab iis quae productioni materiali inserviunt: »quare quae ad artificii genus aliquod pertinerent, neque ad communem usum patrisfam. accommodatae essent; suppellectilis non esse" (2). - Utilitas, quam terrae fundus praebet et quae non adhibetur ad ulterius producendum, est sita in amoenitate ex nemore et umbra; vide quam pulchre id ULPIANUS describat, quamque securus sit de hac utilitate (3): »et si forte voluptate fuerit praedium, viridiaria vel gestationes vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amoenas habens, non debebit dejicere ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid quod ad reditum spectat." Talium aedificiorum et praediorum sterilium adeo tamen existunt fructus (quos *civiles* dicere possis (4)), ut illa amoenitas et voluptas, - non tantum ab ipso fructuario aestimari possit: v. c. »si quis vi aut clam arbores non frugiferas ceciderit, veluti cupressos: domino duntaxat competit interdictum: sed si amoenitas quaedam ex hujusmodi arboribus praestetur, potest dici, et fructuarii interesse, propter voluptatem et gestationem" (5); - sed praeterea saepius ab alio conducatur, qui harum aedium et fundorum voluptuariorum pensiones ex productivae suae sortis reditibus, v. g. fundorum cultorum aut servorum artificum mercede, solvit; atque igitur hos *civiles* cum *naturalibus* suis fructibus (6) permutat. Hinc utilis alicui et gratus potest esse talis praedii ususfructus, quamvis pecunia egeat, ut in illud impendat (7). Praestat certe, si praeter hanc utilitatem adspectûs, etiam ex fructibus acquiras compen-

(1) L. 11. D. *de suppell. leg.* (2) L. 6. eod. (3) L. 13. § 4. D. *de usufr. et qu.* (4) L. 62. D. *de rei vind.* (5) L. 16. § 1. D. *quod vi aut clam.* (6) De quibus cf. p. 58. (7) L. 41. § 1. eod.

dium; et ideo semper laudandi »horti qui in reditu sunt" (1); attamen vides plane distinctam esse talem industriae, pecuniae et fundi adhibitionem a consumtione improductiva quae dicitur: revera enim producit, scil. utilitatem: - utilitatem, quae diu manet interdum, ut illa sapientis; quaeque ab aliis adhibita productionem materialem s. corporalem adjuvat. Talis imprimis est opera productiva sapientis: tempus v. g. impensum ad alterius servum docendum, non improductive impensum est; *neque* ipsi qui docuit, nam mercedem, et si aluerit quoque servum, alimenta vel horum potius pretium recipit (2); *neque* ipsi servo (ejusve domino), quoniam artem s. industriam doctus, hanc pro mercede alii potest locare, et ita alicujus rei vel utilitatis productioni interesse.

Interdum talis vir, experientia doctus et peritus, loco mercedis partem accipit lucri quod ex negociatione quadam existit; et operam suam alterius pecuniae s. sorti productivae jungens, ipse fit redemptor industriae, utilitatem producens et suo sociique periculo in suum sociique lucrum, industriae genus exercens: sic »inter Flavium Victorem et Vellicum Asianum placuerat: ut locis emptis pecunia Victoris, monumenta fierent opera et peritia Asiani; quibus distractis, pecuniam [suam] Victor cum certa quantitate reciperet, superfluum Asianus acciperet, qui operam in societatem contulit: erit pro socio actio" (3); etenim »societas... valet etiam inter eos qui non sunt aequis facultatibus; cum plerumque pauperior opera suppleat quantum ei per comparationem patrimonii de-

---

(1) L. 198. D. *de verb. sign.* (2) L. 13. § 3. D. *loc. cond.*, l. 26. § 8. D. *mand.* (3) L. 52. § 7. D. *pro soc.*

est" (1); »plerumque enim tanta est industria socii, ut plus societati conferat quam pecunia; item si solus naviget, si solus peregrinetur, pericula subeat solus" (2); ut ille v. g. qui cum alio sagariam negotiationem iniit, et »ad merces comparandas profectus in latrones incidit, suamque pecuniam perdidit; servi ejus vulnerati sunt" cet.: damnum in commune fuit ferendum, ne omisso quidem quod in medicos impensum est (3). Ecce jam exempla talis operae redemptoris, in industria manuum (vel fabricatione) et in mercatura: adde hoc exemplum operae in agricultura: »si in coeunda societate artem operamve pollicitus est alter, veluti cum pecus in commune pascendum, aut agrum politori damus in commune quaerendis fructibus:... pretium operae, artis est aequamentum" (4).

Tertium operae genus, quod consistit in manibus, quodque in libero homine (5) vel servo alieno conducto mercede compensatur, de suo servo requiritur ex potestate domini, - est omnium, in industria, maxime corporale: perspici potest ex eo quod inde redundat; imo et constat plerumque, quantum ejus per certum tempus perficiatur: »opera in actu consistit; nec ante in rerum natura est

(1) L. 5. § 1. eod. Add. l. 6, l. 80. eod. (2) L. 29. § 1. eod. (3) L. 52. § 4. eod. (4) L. 52. § 2. eod. - Alii legunt *velamentum*, alii *levamentum*: sed *aequamentum* legendum est, ut patet ex l. 5. D. *naut.*, *caup.* cet., ubi dicitur: »fullo et sarcinator *pro arte mercedem* accipiunt;" igitur eorum artis aestimatio aequalis, par, est aestimationi pretii s. mercedis quam quis ei solvit. (5) Propter »assiduam et quotidianam comparationem servorum" (l. 44. pr. D. *de usurp.*), liberorum hominum operae conductio minus usu veniebat; attamen aliquoties memoratur, v. c. l. 4. pr., l. 12. § 6. D. *de us. et hab.*, l. 11. C. *de ingen. man.*

quam si dies venit quo praestanda est" (1); »quaedam conditiones natura sui nec possunt eodem tempore impleri, sed necessariam habent temporis divisionem, velut cum decem operarum jussus est dare, quia operae per singulos dies dantur" (2). Jure autem nostro cum servis non amplius utimur, necesse est ut omnibus operariis solvamus mercedem: eam suis servis, ut par est, non solvebant; igitur ea productionis impensa olim non erat tanta, quanta hodie: attamen pecunia nunc in mercedem soluta, iis constabat in pretio servi et quotidianis in eum impensis. Utrumque ex sorte solvitur (ut dein videbimus): sed hinc sequitur, Romanos saepius servis suis, quos tamen alere debebant, facilius uti potuisse in producendo quam machinis; adeo ut recentioris Oeconomiae doctrina de machinarum prae manuum opera utilitate (3), hîc non plane valeat.

Ceterum optime viderunt Romani, non fieri posse, ut opera hominum s. servorum sit certa mensura qua rerum valorem possemus metiri (4): quamvis enim homo quidam pro sua opera eandem accipiat mercedis nomine pecuniae summam (quod tamen ne semper quidem obtinet) ea operae aestimatio in diversis hominibus plane diversa est, adeo ut huic a nullo alio plane possit suppleri: »si servus operas extraneo dare jussus esset, nullus nomine servi suas operas dando, liberare servum potest: quod in pecunia aliter observatur; utpote cum extraneus, pro eo servo dando pecuniam, servum liberaret" (5). Etenim rectissime »CELSUS... putat, eam esse causam operarum,

---

(1) L. 1. D. *de oper. serv.* (2) L. 20. § 5. D. *de statulib.* (3) SAY T. I. p. 59, sqq. (4) Quae fuit doctrina Angli SMITH. Cf. SAY T. II. p. 85, sq. (5) L. 39. § 5. eod.

ut non sint eaedem, neque ejusdem hominis, neque eidem exhibeantur: nam plerumque robur hominis, aetas temporis, opportunitasque naturalis mutat causam operarum" (1): igitur in aestimanda hac opera hujus ratio tenenda est differentiae (2).

Sic, ut secundo loco de illa quoque dicamus, differre potest etiam qualitas ipsius operae quam *natura* praestat. Ut enim constat, alios esse fundos qui multum proferant frugum, alios esse qui minus proferant (3); haec diversa agrorum qualitas, quae apparet in ejus opera productiva, diverse aestimatur: »quod si certus locus sit evictus,... pro bonitate loci erit regressus: quid enim si, quod fuit in agro praestantissimum, hoc evictum est; aut quod fuit in agro vilissimum? aestimabitur loci qualitas, et sic erit regressus" (4). Quod autem revera opera existit naturae, qua novos fructus semper praebet, non tantum ex frugibus quos crescere vides patet, sed etiam ex aliis terrae fundi productis: »nec puto" inquit JAVOLENUS »fundum deteriorem esse, si tales sint lapidicinae, in quibus lapis crescere possit" (5); »si vir in fundo mulieris dotali lapidicinas marmoreas invenerit, et fundum fructuosiorem fecerit; marmor quod caesum (est) neque exportatum, est mariti, et impensa non est ei praestanda: quia nec in fructu est marmor, nisi tale sit, ut lapis ibi renascatur, quales sunt in Gallia, sunt et in Asia" (6).

---

(1) L. 26. § 12. D. *de cond. indeb.* (2) Cf. quae ipse SAY dicit T. II. p. 87: »La qualité du travail n'influe pas moins sur la valeur. Le travail de l'homme fort et intelligent vaut plus que celui de l'homme faible et stupide." (3) L. 53. § 1. D. *de evictione.* (4) L. 1. eod. Add. l. 7. § 4. D. *de don. inter. vir. et ux.* (5) L. 18. pr. D. *de fund. dot.* (6) L. 7. § 13. D. *soluto matr.*

Quoniam vero haec naturae opera non semper eadem est, et aliis anni tempestatibus major, aliis minor; hinc repetas quaedam agricolis data privilegia: » omnes judices urbanaeque plebes et cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturae libere licenterque inserviant: quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis aut vineae scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas coelesti provisione concessa" (1). » Nullis vero criminationibus implicanda sunt remedia humanis quaesita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis grandinisque lapidatione quaterentur; quibus non cujusquam salus aut aestimatio laederetur, sed quorum proficerent actus ne divina munera et labores hominum sternerentur" (2). Ab hac enim tempestiva naturae operatione pendet ipsa agricolarum opera, quam turbare humanis non licet institutis: » exercitores" igitur » a quocunque judice dati ad exigenda debita ea quae civiliter poscuntur, servos aratores aut boves aratorios aut instrumenta aratorum pignoris causa de possessionibus non abstrahant; ex quo tributorum illatio retardetur; ... pignorum gratia aliquid quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit" (3): » numquam sationibus et colligendis fructibus insistentes agricolae ad extraordinaria onera trahantur: cum providentiae sit, opportuno tempore his necessitatibus satisfacere" (4): tandem, » ne quis messium vindemiarumque tempore adversarium cogat ad judicium venire, oratione D. MARCI exprimitur;

---

(1) L. 3. C. *de feriis.* (2) L. 4. C. *de malef. et mathem.* (3) L. 7, l. 8, C. *quae res pignori.* Cf. Code de proc. civ. a. 592, Wetb. v. burg. regtsv. a. 447. (4) L. 1. C. *de agricol. et cens.*

quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt" (1). Hinc » a die 8 kalend. Julii usque in kal. Aug. messis feria concedatur: ... a 10 autem kal. Sept. usque in idus Oct. vindemialis feria concedatur" (2).

Jam cum omnium industriae generum vidimus operationes, et ipsius quoque naturae, tertii productionis auxilii opera respicienda est, ipsius *sortis*. Dixi et probavi, ad producendum nos egere quibusdam rebus jam productis quae sortis parte emi debebant; ut sunt, materia circa quam versetur industria; machinae, instrumenta; alimenta et vestes domini; mercedes operariorum, vel quod harum plerumque loco apud Romanos erat, cibaria et vestimenta servorum: et ipsis Digestorum locis ostendi, harum rerum aliam, uti materiam, transformari sed eandem manere; alias, ut alimenta et mercedes, cito consumi; alias rursus, ut instrumenta, diutius remanere; at tempore et usu tandem perire (3): - jam putares, impensis his et productionis acquisitis subsidiis, ipsam sortem deperire et aliam ejus loco existere: - minime! JCtus Rom. te doceat, quoties partes rei variae mutantur et species, tamen idem manere genus, eandem esse rem. Priori loco ALFENI citanda verba sunt, quamvis forte pluria, quibus id de cunctis fere rebus universe probavit, et vere philosophè explicavit (4): »Proponebatur" inquit » ex his judicibus qui in eandem rem dati essent, nonnullos causa audita excusatos esse, inque eorum locum alios esse sumptos; et quaerebatur singulorum judicum mutatio eandem rem, an aliud judicium fecisset? Respondi, non modo si unus

(1) L. 1. pr. D. *de feriis et dilat.*

(2) L. 2. C. *de feriis.*

(3) De his omnibus cf. diss. p. 65, sqq.

(4) L. 76. D. *de judiciis.*

aut alter, sed et si omnes judices mutati essent, tamen et rem eandem et judicium idem quod antea fuisset permanere. Neque in hoc solum evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed et in multis caeteris rebus: nam et legionem eandem haberi, ex qua multi discessissent, quorum in locum alii sublecti essent: et populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viveret: itemque navem, si adeo saepe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quae non nova fuisset, nihilominus eandem navem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis, aliam rem fieri, fore ut ex ejus ratione nos ipsi non iidem essemus, qui abhinc anno fuissemus: propterea quod, ut philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hae quotidie ex nostro corpore decederent, aliaeque extrinsecus in earum locum accederent. Quapropter cujus rei species eadem consisteret, rem quoque eandem esse existimari."

Jam ALFENI pulcherrimo exemplo innitentes, de singulis videamus.

Ea quae in cibariorum et vestium acquisitionem plane sunt consumpta, atque in mercedes operariis tributas, - ut ita eorum operas emeremus: haec opera per se quidem non respicitur, sed, ut vidimus, in actu consistit (1): is actus locum habuit circa materiam ipsam, et igitur in mercibus vel artificiis vel frugibus reviviscit. - Huc quoque refer instrumenta, et ea quae impensa sunt in his reficiendis et ameliorandis. Si plane perierunt usu, etiam hae impensae in ipsas merces et productorum aestimationem refunduntur; si adhuc existunt, ipsius adhuc

(1) L. 1. D. *de oper. serv.*

sortis peculiarem constituunt partem: sed, ponamus, omnia instrumenta, omnesque servos periisse, vel, perfecto opere, esse venditos; in ipsis mercibus vel in pecunia inde redacta consistet eorum aestimatio. - Materia, circa quam locum habuit industria, quamvis mutata et reformata, mansit eadem; dein, ea vendita, ut quoque mercibus, ut terrae frugibus, vel aliae merces aliave producta pro ipsa emta sunt, vel in pecuniam redactum est horum omnium pretium. Jam, sive in mercibus, sive in pecunia consistat id quod ex his perceptum sit, semper sors eo adhibita, erit eadem: anno vel longiori tempore praeterlapso, potuit decrescere, potuit augeri; semper tamen una illa eademque sors aucta est vel decrevit. »Tabernam pignori dedit:... an *tabernae* appellatione *merces* quae in ea erant obligasse videatur; et si eas merces per tempus distraxerit, et alias comparaverit, easque in tabernam intulerit, et decesserit; an omnia quae ibi deprehenduntur, creditor... petere possit, cum et mercium species mutatae sint, et res aliae illatae? Respondit [JCtus]: et quae mortis tempore debitoris in taberna inventa sunt, pignori obligata esse videntur" (1). »Cum rogatus, quidquid ex hereditate supererit, post mortem suam restituere, de pretio rerum venditarum alias comparat,... deminuisse quae vendidit non videtur: sed quod inde comparatum est vice permutati, domino restituetur: idem servandum est, et si proprios creditores ex ea pecunia dimiserit: *non* enim *absumitur*, quod in *corpore patrimonii* retinetur" (2). Adde hunc locum, qui ipsis verbis ad sortem transfert quae ALFENUS de cunctis

(1) L. 34. pr. D. *de pignor. et hyp.* (2) L. 70. § 3, L. 71, L. 72. D. *de leg. II.*

rebus quarum partes mutarentur, ratiocinatus est: »Si ipsa res quae ad alium pervenit, interiit, non esse locupletiorem dicemus: sin vero in pecuniam aliamve rem conversa est, nihil amplius quaerendum est, quis exitus sit, sed omnino locuples factus videtur, licet postea deperdat. Nam et Imperator ANTONINUS rescripsit, ob id ipsum peti ab eo hereditatem posse; quia licet res, quae in hereditate fuerant, apud eum non sint; tamen pretium earum locupletem eum, *vel saepius mutata specie*, faciendo perinde obligat, ac si corpora ipsa in eadem specie mansissent" (1).

Fuit praeterea Romanis sortis productivae genus tam singulare, nt non possim non pauca de hao separatim tradere: peculium intelligo servi.

Quodcunque servus acquirebat, domino acquirebat; neque etiam peculium servi erat ejus proprium; sed quod dominus voluit, nt servus retineret et administraret separatim a domini rationibns: »peculii est non id cujus servus seorsim a domino rationem habuerit, sed quod dominus ipse separavit, summa servi rationem discernens" (2). »Peculium autem TUBERO quidem sic definit: quod servus domini permissu separatim a rationibus dominicis habet, deducto inde si quid domino debetur" (3). Optimo autem proposito id moribus invaluerat: nam grave fuisset, servum non mercenarium quidem, sed institorem, sed artis interdum vel scientiae doctorem, quotidie molestari, ut honorarium domino daret, ut mercium artisve rationem haberet: – dabant potius servo aliquot nummos, majorem

(1) L. 18. D. *quod met. caus.* (2) L. 4. pr. D. *de pecul.* (3) L. 5. § 4. eod.

interdum pecuniae summam, qua sibi procuraret ea quae ad artem excolendam erant necessaria; et quum dominus volebat, ejus peculii ratio reddebatur: illudque peculium dominus augebat vel minuebat, vel totum adimebat (1). Ceterum ut ratio talis peculii integra maneret, saepe, saltem »si ex consuetudine domus erat" (2), recipiebat servus quae in domini rem verterat, et impenderat (3); adeo ut plane separaretur a ceteris domini facultatibus; et uni industriae generi vel operae occupatum, graves ferret reditus. Nam ne minoris ducas talem sortem peculiarem, vide quid ea comprehendatur: »in peculio autem res esse possunt omnes, et mobiles et soli; vicarios quoque in peculio potest habere, et vicariorum peculium: hoc amplius et nomina debitorum:... sed et hereditas et legatum, ut LABEO ait:... et si quid ei conservus debet" (4). Imo etiam servae tale peculium habebant: »et ancillarum nomine... in peculio actio datur: maxime si qua sarcinatrix aut textrix erit, aut aliquod artificium vulgare exerceat,... sed et tributoriam actionem, si peculiari merce, sciente domino, negotientur, dandam esse" (5).

Plane igitur tale peculium convenit cum parte sortis quam hodie aliquis filio suo, aliive institori daret, ut patri vel patrono lucretur, ipse usuras minores et alimenta inde habeat. Et revera tale servi peculium sors productiva domini dici potest, imprimis si, ut saepe, omnes ejus divitiae in uno illo erant servo. Cum vero ab ipsius artis vel opificii vel mercimonii eventu dependat peculii talis reditus, damnum vel lucrum; optime de hoc, fere

---

(1) L. 4. pr. eod. (2) L. 23. § 1. D. *de pecul. leg.* (3) L. l. 23. § 1. Add. l. 7. § 6. D. *de pecul.* (4) L. 7. § 4, 5, 7. eod. (5) L. 27. pr. eod.

ut SAY de divitiis nationis (1), loqui potuit MARCIANUS (2): »Peculium nascitur, crescit, decrescit, moritur: et ideo eleganter PAPIRIUS FRONTO dicebat: peculium simile esse homini." Insuper haec ita explicat: »quomodo autem peculium nascitur, quaesitum est? Et ita veteres distinguunt: si id adquisiit servus, quod dominus necesse non habet praestare, id esse peculium: ... ita igitur nascitur peculium: crescit, cum auctum fuerit: decrescit, cum servi vicarii moriuntur, res intercidunt (3): moritur, cum ademptum sit."

---

(1) »...Les richesses... sont susceptibles d'être créées, détruites, d'augmenter dans le sein même de chaque nation,... selon la manière dont on s'y prend pour opérer de tels effets."
(2) L. 40. D. *de pecul.* (3) Add. l. 3. D. *quando de pecul. act.*: »ut possit ei accedere,... fructibus, vel pecorum foetu, ancillarumque partubus: et decedere, veluti si mortuum sit animal, vel alio quolibet modo perierit [res]."

CAPUT QUINTUM.

DE REDITIBUS, IMPENSIS ET LUCRO.



Reditus, quid? – est triplex: I°. reditus terrae fundi, qui constat vel in fructibus vel in mercede locationis: II°. reditus sortis, impr. pecuniariae: – usurae sunt reditus annales pecuniae; cohaerent sorti; solvuntur pro fructibus; usurae legitimae: conventionales; earum modus lege definitus; usurarum odium; utilitas: III°. reditus industriae; docti, redemptoris, operarii: – differt utrum ipse producas an usuras acquiras pecuniae. – Duplici ratione reditibus uti possumus: I°. possumus conservare; et ita sortem augere: II°. erogare, vel 1°. productive, in materiam, alimenta, instrumenta; et sic itidem sors augetur: – quamvis illae impensae fiant ex ipsis industriae productis, nihilominus fiunt ex reditu sortis: – impensis his factis ex reditu sortis, dominus fit locupletior. Id quod ex reditu superest dicitur lucrum integrum: – vel 2°. improductive: sors manet eadem; sed dominus fit pauperior, quia non auxit patrimonium. – Luxuria: comedere sortem. – Fructus anni omnes spectandi sunt; uti quoque omnes sortis partes unam efficiunt sortem.

Ut ipsa vox notat, *reditus* est id quod ex sorte adhibita in producendo post certum tempus ad nos redit: quum autem sors illa aliis consistit in terrae fundo, aliis in pecunia eisve quae pecuniae habent valorem, aliis in

vigore et industria, hinc sequitur tria imprimis esse redituum genera (1): de singulis disseremus.

Primum autem de reditu terrae fundi, qui solus fere est virium naturalium quae ab homine possint sibi propria acquiri. Ille reditus terrae percipitur vel in ipsis fructibus ex cultu agri per ipsum dominum redactis, vel ex mercede locationis cond., si agrum alii colendum pro pecuniae summa dedit. Fructus agri minores majoresve sunt pro agri ipsius qualitate (2), de qua modo vidimus: quae si permodica sit, saepius utilius esse potest, talem fundum alienare, et pecuniam inde redactam alia ratione impendere: »si fundus sit sterilis vel saxosus vel pestilens, videndum est an alienare eum non possis? Et Imperator ANTONINUS et D. pater ejus in haec verba rescripserunt: quod allegastis, infructuosum esse fundum [et igitur parvum fore venditionis pretium], movere nos non potest: cum utique pro fructuum modo pretium inventurus sit" (3). Sic sancitum est de bonis ecclesiae legatis in captivi redemptionem vel pauperes alendos: etenim: » si quidem certus reditus est ex relictis rebus colligendus, manere legatum, vel hereditatem, vel donationem, nulla alienatione mutilanda, cum possit ex reditibus redemptio vel sustentatio fieri: si autem vel certus reditus non est,... vel vineae fructus non semper similes, sed varii colliguntur,... permittimus venditionem" (4). Nota autem, hos fructus partim esse *industriae* reditum, partim *fundi:* si vero solet dominus locare usum terrae fundi, hujus tantum reditus debet reddi in ipsis pensionibus quas accipit (5). Interdum autem fit, ut revera multum quidem valeat fundus, parvas tamen reddat pen-

(1) SAY T. II. p. 220, sq. (2) L. 92. pr. D. *de leg. I.* (3) L. 13. init. D. *de rebus eorum qui sub. tut.* (4) Nov. 65. (5) Cf. l. 36. D. *de usur.*, l. 2. C. *de praed. et omn. reb.*

siones: tunc, cum non valet regula: aestimationem fundi ex reditibus patere, alia via haec aestimatio facienda est, quam nobis suppeditat JUSTINIANUS (1): si vero alicujus ecclesiastici praedii suburbani emphyteusis detur, qualia plurima... novimus.. consistere, multo quidem digna pretio, parvas vero reddentia pensiones, aut nihil pensionum omnino: non ex reditibus metiri emphyteusim, sed aestimari suburbanum subtiliter, et reputari ex pretio collecto reditus, possibiles in 20 annis computari: et in reditibus ex hoc computatis agi emphyteusim." Si vero alienent talem fundum, optime cavendum est, ne minores accipiant reditus: »si permutationem faciant, eam faciant, cum re magis necessaria et reditum non minorem eo quod datur habente; et emphyteusin quoque faciant, absque reditus diminutione, aut de re seu possessione minus idonea" (2). Ceterum major minorve praedii reditus saepius pendet ab ipsorum praediorum paucitate, quae plerumque patet ex viliori vel majori fundorum pretio (3). Sive autem reditus in pecuniaria pensione constitutus fuerit, sive in fructuum ea parte quae non est reditus industriae, idem est: semper enim reditu praediorum intelligitur pecunia ex reditibus redacta (4).

Quae de praediis rusticis diximus, eadem plane valent de aedibus: aedes aestimantur ex reditu (5), et »praediorum urbanorum pensiones pro fructibus annumerantur" (6). Reditus sortis (quo jam pertinent aedium illae

(1) Nov. 7. C. 3. § 1. (2) L. 17. § 1. C. *de SS. eccles.* (3) L. 7. § 3. D. *de don. int. vir. et ux.* (4) L. 38. D. *fam. ercisc.* (5) L. 2. C. *de praed. et omn. reb.* (6) L. 36. D. *de usur.* — Corollarii loco haec addatur l. 27. § 1. D. *de hered. pet.* »Sed et pensiones quae ex locationibus praediorum urbanorum perceptae sunt, venient [in hereditatis petitionem], licet a lupanario sint: nam et in multorum honestorum virorum praediis lupanaria exercentur." Cf. quoque l. 55. D. *de cond. indeb.*

pensiones) numquam accuratius potest perspici, quam si sors sit pecuniaria: si enim ex sorte multum emeris materiae, instrumentorum, cet., et circa haec industriam tuam exercueris, difficile saepe est distinguere, quis sit industriae, quis corporis virium, quis sortis ipsius reditus (1): in pecunia autem id longe facilius obtinet: instrumentis fere nullis eges; corpus plane quiescit; una est pecunia quae operatur atque occupata est. Loces pecuniam tuam alii, certas accipies usuras, quotannis vel post brevius tempus solvendas: hae usurae sunt reditus annalis pecuniae; nam *usuras* pecuniae revera ejus esse *reditus*, hinc patet, quod si magis placeat, non pecunia, sed aliis rebus solvi usuras, optime hoc consistere: »si curator... sublata pecunia, quae ad comparationem possessionis fuerat deposita, sibi praedium comparavit, elige utrum malis in emptione negotium tibi eum gessisse, an quia in usus suos pecuniae conversae sunt, legitimas usuras ab eo accipere" (2): »Si ex pactione uxor tua mutuam pecuniam dedit, ut vice usurarum domum inhabitaret, pactoque ita ut convenit usa est, non etiam locando domum pensionem redegit; referri quaestionem, quasi plus domus redigeret, si locaretur, quam usurarum legitimarum ratio colligit, minime oportet. Licet enim uberiore sorte potuerit contrahi locatio; non ideo tamen illicitum foenus esse contractum, sed vilioris conducta

---

(1) SAY T. II. p. 309, sq. – Sic in reditu terrae fundi definiendo separatim ab industriae circa fundum adhibitae mercede, optimum foret, comparare reditum redactum cum ipse fundum coleres, cum mercede locati ejusdem fundi: quantum enim hanc ille superat, tantum erit industriae tuae pretium; saltem si industriae modum in utroque parem ponamus. (2) L. 3. C. *arbitr. tut.* Add. MOLINAEUS l. l. (supra, p. 17) Oper. T. II. p. 1599, sq. Quaest. 76.

habitatio videtur" (1): »si ea lege possessionem mater tua apud creditorem suum obligavit, ut fructus in vicem usurarum consequeretur, obtentu majoris emolumenti, propter incertum fructuum proventum, rescindi placita non possunt" (2). Proinde JUSTINIANUS »sive quis *reditum*" ait »sive etiam usuras vocare velit" (3).

Reditus sortis pecuniariae, usuris constans, sorti ita adhaeret, ut fere sors talis sine usuris cogitari nequeat: »summae autem applicare debemus usuras" (4): neque illud iniquum est, modo is qui pecunia nostra usus est, fructus per eam perceperit: »veniunt autem in hoc judicium ... imprimis pretium, quanti res venit; item usurae pretii post diem traditionis; nam cum re emptor fruatur, aequissimum est, eum usuras pretii pendere" (5); et igitur fructuum perceptorum habetur ratio: »erit sane in arbitrio tuo pretium quod dedisti cum usuris recipere: ita tamen ut perceptorum fructuum ac sumtuum ratio habeatur" (6); »ex pignore percepti fructus imputantur in debitum" (7): sin vero nullos percepit, indignum esset, usuras petere; modo nihil fecerit, quo minus perciperet: »cum usurae pretii fundi ab eo, qui a fisco emerat, peterentur, et emptor negaret traditam sibi esse possessionem, Imperator decrevit, iniquum esse usuras ab eo exigi qui fructus non percepisset" (8).

Si tamen nullas pecunia proferat usuras; vel quod do-

---

(1) L. 14. C. *de usur.* (2) L. 17. eod. (3) Nov. 160. praef. Add. l. 24. D. *de praescr. verb.*, l. 30. D. *de adim. v. transf. l.*; et vid. SALMASIUS, *de trapezitico foenore*, L. I. p. 81, sqq. Ed. 1640. (4) L. 9. § 2. D. *de pact.* (5) L. 13. § 20. D. *de act. emt.* Add. l. 3. § 4. D. *de usur.* (6) L. 15. C. *de rei vind.* (7) L. 1. C. *de pign. act.* (8) L. 16. § 1. D. *de usur.* Add. l. 58. § 6. D. *ad Sctum Treb.*

minus deposuerit tantum, vel quod non habuerit, cui crederet; dicitur sors vacua (1), otiosa (2), posita (3); nummi steriles (4). Saepius enim locum habet, ut nemo sit cui tuto credere possis (5): saltem magna differentia est inter varios locos diversaque tempora, et in occasione tam pecuniam mutuam dandi quam accipiendi; ex qua occasione pendet minor majorve usurarum modus, quem solvere necesse est, vel accipere licet: »ideo in arbitrium judicis refertur haec actio [de eo quod certo loco dari oportet], quia scimus quam varia sint pretia rerum; - pecuniarum quoque licet videatur una et eadem potestas ubique esse, tamen aliis locis facilius et levibus usuris inveniuntur, aliis difficilius et gravibus usuris" (6): pecuniae numeratae non in omnibus regionibus sub iisdem usuris foenerantur" (7).

Ceterum hîc locus esset agendi de modo usurarum apud Romanos constituto, nisi haec quaestio jam saepius fuisset tractata (8); insuper ad eorum de Oeconomia Pol. notionem proprie non pertineat, sed ad statisticam Imperii Rom. descriptionem. Sufficiat igitur hîc monere, usurarum quae legales dicuntur vel legitimae, certum fuisse modum constitutum, in aliis 5°/₀ (9), in aliis 4°/₀ (10).

---

(1) L. 28. D. *depos.* (2) § 6. Inst. *de mand.* (3) L. 13. D. *de usur.* (4) L. 7. eod. (5) L. 3. C. *de usur. pup.* (6) L. 3. D. *de eo q. cert. l.* (7) § 33. Inst. *de action.* (8) Uberrime a MOLINAEO, l. l. Add. MARQU. FREHERUS, *de re monetaria vet. Rom.*, SALMASIUS, *de modo usurarum* et *de foenore trapezitico*, J. F. GRONOVIUS, *de pecunia veterum* (impr. L. III. C. 13), et *de foenore unciario.* Recentiori tempore NIEBÜHR, *Röm. Gesch.* T. III. p. 64, sqq., G. L. F. SCHULTZ, *Grundlegung zu einer geschichtl. Staatswissenschaft d. Römer.* C. IV. § 49, sqq., p. 353, sqq. (9) L. 9, l. 17. § 6, 8, 31. D. *de usur.*, l. 5. C. *de usur.*, l. 1. C. *de usur. pup.* (10) Ut *pupillares.* Cf. BRISSON. in hac v.

De iis porro hae valent universe regulae, quae oeconomo conveniunt principio: »nec inutilis legitimae usurae stipulatio videtur sub ea conditione concepta, si minores ad diem solutae non fuerunt: non enim poena, sed foenus uberius, ratione sortis promittitur" (1): »usurae [legitimae] non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium infliguntur" (2). Usurae autem quae dici solent conventionales, non nisi antiquissimo tempore, et cito obsoletis legibus, apud Romanos fuere cohibitae, usque ad JUSTINIANUM (3); et fuerunt majores minoresve pro variis regionibus et temporibus, proque periculo quod ex iis erat sperandum (4). Valde solitae autem in credenda pecuniae summa fuisse videntur usurae semisses, id est 6°/₀ (5): argentarii besses usuras acceperunt (6): maximus usurae modus centesima fuit, id est 12°/₀ (7); excepta pecunia trajectitia, cujus itidem olim non erat norma (8), nisi τίμημα τοῦ κινδύνου (9). Frugum autem usurae longissime ceteras pecuniae numeratae usuras superabant (10); ratio erat, quod frugum valde incertum

(1) L. 9. § 1. D. *de usur.* (2) L. 17. § 3. eod. (3) Cf. MOLINAEUS l. l. Quaest. I. § 42. p. 1139. (4) L. 7. § 10. D. *de adm. et per. tutt.* (5) L. 4. D. *quod juss.*, l. 34. pr. D. *mand.*, l. 13. pr. D. *de usur.*, l. 24. D. *de praescr. verb.*, l. 1. D. *de his quib. ut indign.* (6) Edict. 9. C. 6. (7) L. 7. § 8. D. *de adm. et per. tutt.*, l. 38. D. *de neg. gest.*, l. 6. C. *de sec. nupt.*, l. 2, l. 3. C. *de usur. rei jud.*, l. 4. C. *de aedif. priv.* Hinc, centesima habita pro usuraria monade q. d. sive asse, quarta pars centesimae est 3°/₀. Nov. 120; usura tertiae centesimae, Nov. 22. C. 44. § 4. Nov. 59. C. 3, Nov. 88, C. 1, 2, vel ad tertiam partem centesimae, l. 1. § 7. C. *de rei ux. act.* signif. 4°/₀; duae partes centesimae, Nov. 106, sunt 8°/₀. Add. MOLIN. p. 1147, GRONOV., *de pec. vet.* l. l., SCHULTZ. p. 384. (8) Dein a JUSTIN. legibus cohibita, et rursus laxata. Cf. l. 26. § 1. C. *de usur.*, Nov. 105, 106, 110. (9) Basilica, in l. 5. D. *de naut. foen.* (10) L. 1. C. Th. *de usur.*, l. 23. C. eod. Add. SAV T. II. p. 287.

erat pretium (1). Usurae usurarum s. anatocismus in Codice prohibitus est (2): si autem usurae petitae erant, ubi non licebat, et fraudandi causa additae sorti, ipsae non debebantur, sors quidem (3).

Justinianus post saecula primus modum imposuit usuris conventionalibus, ex errore ipsi cum ceteris fere omnibus Imperantibus communi (4): »super usurarum vero quantitate etiam generalem sanctionem facere necessarium esse duximus, veterem duram et gravissimam molem ad mediocritatem deducentes". Ecce ejus jussa hac de re: Illustres personae non amplius acquirant usurarum nomine quam 4%: illis »qui ergasteriis praeërunt, vel aliquam licitam negociationem gerunt, usque ad bessem centesimae usurarum nomine in quocunque contractu licèt exigere," i. e. 8%: »in trajectitiis vero contractibus vel specierum foenori dationibus usque ad centesimam," i. e. 12%, licet stipulari (5): numquam vero excedat sortem ipsam usurarum numerus solutus (6). Operae pretium est, ipsis quoque verbis referre quae scripsit (7) de usuris usurarum: »ut nullo modo usurae usurarum a debitoribus exigantur, et veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum: si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum et totius summae usuras stipulari; quae differentia erat debitoribus, a quibus revera usurarum usurae exigebantur? hoc certe erat, non rebus sed verbis tantummodo legem ponere. Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras praeteriti temporis vel futuri in

---

(1) L. 23. C. *de usur.* Cf. Gothofr. ad l. 4. § 1. D. *de naut. foen.*, not. 50. (2) L. 20. C. *ex quib. caus. infam.* (3) L. 20. D. *de usur.* (4) Sat T. II. p. 285, sqq. (5) L. 26. § 1. C. *de usur.* (6) L. 27. eod. (7) L. 28. eod.

sortem redigere, et earum iterum usuras stipulari;" cet. (1). Optime igitur vidit JUSTINIANUS, quibus rationibus legi fraudem facere conarentur usurarii (quae enim de anatocismo inquit, eadem valent de usuris conventionalibus restringendis); nec tamen illud ei persuasit, ut a constitutione sua abstineret: vidit scil., *et* nomine sortem eos auxisse, ut usurae tamen graviores quam debitae existerent, *et* sportularum nomine eos aliquid accedens petivisse, *et* per interpositas personas finxisse sortis creditum, cujus usuras suis adderent: - poenas quidem inflixit JUSTINIANUS; melius egisset, si non fuisset conatus coërcere. Dein autem mutuum usurarium plane prohibitum est a BASILIO Imp., decepto dogmatibus quae doctrinae Judaeorum religionis et Christianae inesse videbantur; - quod tamen non diu stare potuit, ut patet ex rationibus, propter quas LEO, hujus filius, id mutavit, certum tamen illis usuris modum rursus constituens (2): »quae vocantur pecuniae creditae usurae a Spiritus decreto condemnantur. Id sciens pater noster aeternae memoriae Princeps, usurarum solutionem de sanctione sua prohibendam putavit. Atqui propter paupertatem res illa non in melius (quem tamen finem legislator proposuerat), sed contra in pejus vergit. Qui enim antea usurarum spe ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos qui pecuniis indigent, difficiles atque immites sunt; quin etiam ad facile jurandum, quodque id fere consequitur, ad jus jurandum abnegandum, id occasionem praebuit. Breviter, propter redundantem in humana vita perversitatem, non modo

(1) Cf. SAY T. II. p. 302. (2) Const. LEONIS Imp. 83. Cf. SAY T. II. p. 285, 288.

non profuit legis virtus, verum etiam obfuit: quamquam igitur ex se legem culpare (quod quidem etiam absit) nequeamus: propterea tamen quod humana natura... ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud praescriptum abrogamus: ac in contrarium statuimus, ut aeris alieni usus ad usuras procedat, idque quomodo veteribus legislatoribus placuit (1), ad trientes centesimae nempe [4°/₀], quae quotannis in singulos solidos singulas foeneratoribus siliquas pariunt."

Haec jam sufficiant de reditu sortis, tam aliis in industriae generibus occupatae, quam pecuniariae. Tertio tandem addendum esset de reditu industriae: sed de hoc sufficienter jam egimus, probantes aestimationem pati alicujus operas; doctumque pro disciplina mercedem vel honorarium accipere; fulloni, ceterisque industriae redemptoribus, pro arte et opera solvi; operarios salario usum manuum et vigoris vendere (2). Hoc unum etiam animadverte: cum ab unoquoque pendeat, qui velit re sua uti, utrum augere cupiat producendo nec ne; et cum hic illo, eadem sorte, plus acquirere possit; alter altero, fundum colendo, magis proficere; multum etiam differre, utrum pecuniae usuras accipias, an vero ejus habeas usumfructum (3); utrum fructus fundi alicui remittantur, quam quidem an ipse colat (4). Nimirum haec differentia in uno ingenio hominis est, qui meliori quam alter utitur industria; estque hoc qualecunque lucrum, ipsius industriae reditus (5).

---

(1) Add. Nov. 32, 33, 34. (2) Cf. p. 82, sq. Add. SAY T. II. p. 240, sqq. (3) L. 6. D. *ut in possess. leg.* (4) L. 4. pr. D. *de alim. vel cib. leg.* Add. l. 21. C. *de jur. dot.* (5) Cf. SAY T. II. p. 213.

Ex hac redituum doctrina conspicuum est, numquam cogi posse neque fundi reditus, neque pecuniae usuras, neque sortis fructus; nisi sit etiam sors, quae vel in fundo, vel in pecunia, vel in alia re quae productive (utiliter) adhiberi possit, constat. Saepius tamen multum alicujus, qui alii cuidam debeat usuras vel reditus, interesse potest, ut interim fundi valore, pecuniae sorte, ipse ad producendum uti possit: hinc apud Romanos quam maxime usu invaluerat, ut pater dotem filiae dans, tantum praestaret ipsi dotis promissae usuras (1), ipse sorte ad producendum uteretur: hinc in aliis quoque idem obtinet, modo creditorem plane securum reddat ille qui usuras pendere debet, de illis praestandis: »nihil proponi" inquit JCtus »cur prohibeatur heres aedificia distrahere, quorum reditus sportulae sunt relictae: salva tamen causa legati" (2).

Reditibus suis dupliciter aliquis uti potest; potest enim vel *conservare* eos, vel *erogare*. Si conservat, sorti ipsi adduntur, eamque efficiunt majorem, qua dein plus rursus possit producere, vel plus recipere usurarum: »quaesitum est, an usurae pupillaris pecuniae, quas tutores debuerunt, cum ad curatorem transferuntur, in sortem computantur; et universae summae usuras debere curatores incipiant? Respondit [SCAEVOLA], omnis pecuniae, quae ad curatores transit, parem causam esse; quia omnis sors efficitur" (3). Proinde »si usuras exactas tutor vel curator usibus suis retinuerint, earum usuras agnoscere

---

(1) Cf. v. g. l. 2. C. *de dot. prom.* (2) L. 120. pr. D. *de leg. I.*
(3) L. 58. § 4. D. *de adm. et per. tutt.*

oportet: sane enim parvi refert, utrum sortem pupillarem, an usuras in usus suos converterint" (1).

Hoc, si conservat reditus suos: quid si erogat eos? Et hic bene distinguendum est: etenim duplici ratione eos erogare potest, vel ut eas res emat, quibus ad producendum egebit, novam v. g. materiam, nova instrumenta, alios servos, iisve scil. et sibi alimenta atque vestes; et tunc dicitur productive impendere, *utiliter erogare*, ut JCti Rom. aiunt (2), reditus suos; vel potest inproductive expendere, id est, ut iidem dicunt, eos *consumere* (3). De utraque utendi ratione jam agendum est.

Supra vidimus, ad producendum opus esse rebus quibusdam jam productis; vidimus insuper, id quod ita acquiritur, pertinere ad sortem, ejusque esse partem: nunc jam probandum est, illam pecuniam, qua res eae, sive singula ea producta, acquisitae erant, ita erogatam, revera non damno, sed lucro cedere producentium, in variis industriae generibus.

Impensae Romanis dividebantur in necessarias, utiles et voluptuarias (4); ex his utiles hic maxime in censum veniunt, quibus scilicet res ipsa melior reddita est; ut ita majus ex ea lucrum percipi possit. Ecce exempla talium impensarum circa ipsam materiam; – in agriculturae specie: » vir in fundo dot. lapidicinas marmoreas aperuerat,... impensam in lapidicinas factam mulier an vir praestare debuit? LABEO viro negat quidquam prae-

(1) L. 7. § 12. eod. Add. l. 15. D. *de vulg. et pup. subst.*, et imprimis l. 4. D. *de pact. dot.* (2) L. 45. pr. D. *de neg. gest.* (3) L. 16. D. *de reb. cred.* (4) L. 38, 39, 51. D. *de hered. petit.*, l. 14. § 1. D. *comm. div.*, l. 61. D. *de leg. I*, l. 14. D. *de mort. caus. don.*, l. 5. § 3. D. *de impens. in res dot.*, l. 1. § 5. C. *de rei ux. act.*

standum esse a muliere: quia nec necessaria ea impensa esset, et fundus deterior esset factus. Ego" inquit rectissime JAVOLENUS »non tantum necessarias sed etiam utiles impensas praestandas a muliere existimo: nec puto fundum deteriorem esse, si tales sunt lapidicinae, in quibus lapis crescere potest" (1): impensae in frumentum serendum productivae sunt, quia »ita consumitur, ut semper reponeretur" (2); - in manuum opera et fabricatione idem obtinet: »ex argento subrepto pocula facta condici posse;.. ergo et in condictione poculorum etiam caelaturae aestimatio fiet, quae impensa furis facta est" (3); - nec minus in mercatura: »quod si hae res, in quibus impensae factae sunt, promercales fuerint, tales impensae non voluptuariae sed utiles sunt" (4).

Plane sibi semper constiterunt JCti in distinguendis impensis ad instrumenta paranda utilia in excolenda industria, ab impensis factis in alias res magis domesticas. SABINUS primus, ut videtur, accurate haec disjunxit: »quam sententiam," ut fatetur ULPIANUS, »quotidie increscere et invalescere videmus" (5). *Instrumenta* fundi sunt quae paravit dominus ad agrum colendum, *instructus* consistit in iis quae ad proprium usum domini et apparatum fundi pertinent (6). Ad impensas in instrumenta refer ea, quae erogata sunt circa servum (7), ut is doctior fiat (8): - »quod in fructus redigendos impensum

(1) L. 18. pr. D. *de fund. dot.* (2) L. 12. pr. D. *de instruct. v. instr. l.* (3) L. 13. D. *de cond. furt.* (4) L. 10. D. *de imp. in res dot.* (5) L. 12. § 27. D. *de instruct. v. instr. l.* (6) L. 12. § 16, 27, 28, 36, 47. eod. (7) L. 18. § 2. D. *commod.*, l. 1. C. *de infant. expos.* (8) L. 25. D. *de pign. act.*, l. 13. § 23, l. 43, l. 45. D. *de act. emt. et vend.*, l. 12. § 5. D. *quando dies leg.*

est, non ambigitur ipsos fructus diminuere debere" (1); »impendi autem fructuum percipiendorum causa POMPONIUS ait, quod in fundo arando serendoque agro impensum est; quodque in tutelam aedificiorum, aegrumve servum curandum; scilicet, si ex aedificio vel servo fructus aliqui percipiebantur: sed hae impensae non petentur, cum maritus fructum totum anni retinet; quia ex fructibus prius impensis satisfaciendum est" (2). Accidit autem aliquando, ut conductores fundorum impensas factas in locatoris fundum meliorem reddendum et in agri naturam stercore pinguefaciendam, majoris aestimarent quam revera erant, ut ita majus lucrum sibi efficerent: hoc minime decet, et prae omnibus vitandum et corrigendum est (3). - Si autem quis fundum colens, talia fundi instrumenta etiam ipse fabricabat, et vendere solebat, non omnia illa debebuntur ut *fundi* instrumenta; sed ea tantum, quae in usum fundi erant destinata (4). Eadem plane ratione »eum qui venalitiariam vitam exercebat, puto *suorum* numero non facile contineri velle ejusmodi mancipia [quae apud ipsum venum prostabant], nisi evidens voluntas fuit, etiam de his sentientis; nam quos quis ideo comparavit, ut illico distraheret, mercis magis loco quam suorum habuisse credendus est" (5). Tam religiose distinxerunt JCti inter instrumenta aliûs et producta alterius industriae.

Tertium genus impensarum productivarum, est cibariorum et vestium: hae apud Romanos majores erant,

(1) L. 46. D. *de usur.* (2) L. 7. § 16. D. *sol. matr.* Add. l. 16. D. *de imp. in res dot.*, l. 1. § 4, l. 2. pr. D. *de dot. praeleg.*, l. 56. § 3. D. *de jure dot.*, l. 5. § 2. D. *de pact. dot.* (3) Cf. Nov. 64. C. 1, ubi hoc latissime explicatur. (4) L. 12. § 29, 30. D. *de instrum. v. instr. l.* Cf. imprimis l. 2. C. *de verb. et rer. sign.* (5) L 73. § 4. D. *de leg. III.*

propter familiam interdum maximam servorum, qui, ut ipse dominus ejusque cognati ex industria et sortis reproductione ali debebant: sed eo minor etiam erat summa quae in mercenarios et in instrumenta impendebantur, quoniam servis utriusque loco, ut vidimus, utebantur.

Optime distinxerunt JCti Rom. inter *penum* et *cibaria;* illum dicebant, quod in privati domini usum ex ceteris ejus facultatibus expenditur, et statim consumitur; quodque interdum valde pretiosum erat (1); *cibaria* potius erant, quae vel a domino vel a servo solvuntur ex sorte ad industriam excolendam adhibita, in usum ipsius et servorum (2). Hae impensae necessariae sunt et utilissimae simul: »si quis re sua lautius usus sit, contemplatione delatae sibi hereditatis.., in hoc non videatur factus locupletior; in statutis vero sumptibus videatur factus locupletior: utique enim, et si non tam laute erogasset, aliquid tamen in victum quotidianum erogasset" (3). Ab alio igitur praestitae, semper sunt restituendae: servus qui ea solvit cibaria, in rem domini vertisse dicitur; valet autem hoc de cunctis industriae generibus; sic: »et si in cibaria nautarum fuerit creditum, sine quibus navis salva pervenire non poterit" (4). Adde pulcherrimum ALEXANDRI Imperatoris rescriptum (5): »caeterum si bonus vir et innocens tutor arbitrio suo aluit pupillos,... non dubie accepto ferre debebunt ea, quae vir bonus arbitratur merito ad exhibitionem educationis, ministeria, studiaque erogata esse. Nec ferendus est juvenis, qui cum praesens esset, studiisque eruditus atque alitus esset, si

(1) Cf. l. 3. § 1, 2, 9, l. 5. § 1. D. *de penu legat.* (2) L. 3. § 1, l. 18. D. *de in rem vers.*, cett. (3) L. 25. § 16. D. *de hered. petit.* (4) L. 6. pr. D. *qui potior. in pign.* (5) L. 2. C. *de alim. pup. praest.*

ea per alium se consecutum non probet, sumptus recuset; quasi vento vixerit, aut nullo liberi hominis studio imbui meruerit." At cavendum est, ut semper modum rei familiaris teneant in impensis alimentorum et educationis, ne ita sors ipsa consumeretur, vel etiam si major haec esset, nimis de reditibus erogaretur: »alimenta secerni debent pupillis secundum facultates"; »in amplis tamen patrimoniis non cumulus patrimonii, sed quod exhibitioni frugaliter sufficit, modum alimentis dabit" (1). - Si vero alimenta vel vestimenta ea pro magna parte sumuntur ex ipsis productis, quae quis industria sua creavit, nihilominus ea sumta sunt de reditibus suae industriae (2); sed in eo differentia est, quod haec non antea vendidit, aliaque emit quibus aleretur. Igitur »si quis solitus fructus suos vendere, penum legaverit, non omnia quae et promercii causa habuit, legasse videtur; sed ea sola quae in penu sibi separabat: quodsi promiscue uti solebat, tunc quantum ad annuum usum ei sufficeret, familiaeque ejus, ceterorumque qui circa eum sunt, legato cedet: quod fere, inquit SABINUS, evenit in personis mercatorum, aut quotiens cella est olei et vini, quae venire solebant, in hereditate relicta" (3). Item »lana, lino, purpura uxori legatis, quae ejus causa parata essent, cum multam lanam et omnis generis reliquisset [puta, vendendi causa], quaerebatur, an omnis deberetur? Respondit [ALFENUS]: si nihil ex ea destinasset ad usum uxoris, sed omnis commixta esset, non dissimilem esse deliberationem [ab ea quae est] cum penus legata esset, et multas res quae penus essent reliquisset, ex quibus

(1) L. 2. § 1, l. 3. § 3. D. *ubi pupill. educ. deb.* Add. l. 2. C. modo l., init., Nov. 72. C. 7. (2) Add. SAT T. III. p. 14, sq. (3) L. 4. § 2. D. *de penu leg.* Add. imprimis l. 1. C. *de verb. et rer. sign.*

paterfam. vendere solitus esset: nam... cum probaretur, eum qui testamentum fecisset, partem penus vendere solitum esse, constitutum esse, ut ex eo, quod ad annum opus esset, heredes legatario darent. Sic mihi placet, et in lana fieri;" cet. (1). Vide, quam fixa iis fuerit opinio, cibaria esse res industria procreatas, et vel ipsa vel pretium eorum, reditum esse sortis productivae simul et industriae; impensas denique in alimenta, esse ex sorte.

Aliae quoque multae possunt esse utiles impensae, quae ex sorte productiva solvuntur: v. c. voluit quis extendere suam mercaturam, et socium dimisit ad iter faciendum: »si quis ex sociis profectus sit, veluti ad merces emendas, eos dumtaxat sumtus societati imputabit, qui in eam expensi sunt: viatica igitur et meritoriorum et stabulariorum, jumentorum, carrulorum vecturas vel sui vel sarcinarum suarum gratia, vel mercium, recte imputabit" (2): vel voluit quis negotium exercens, transeuntium oculos ad suam tabernam attrahere, eosque magis allicere ut emant: »decorari quoque hujusmodi tabernacula vel officinas exterius saltem marmore" licebit, »ut et civitati sint decori, et transeuntibus voluptati" (3); eo magis autem illae impensae productivae sunt et fiunt ex sorte, quae necessariam spectant aedificii restaurationem (4).

Haec de impensis utilibus ipsis: qui vero eas pro nobis solvit, eas potest repetere (5); vel compensantur cum fructibus (6); si vero ipse solverit, et aliquid ex iis accesserit, crevisse sortem constat (7). Hinc sequitur, revera his impensis factis sortem non minorem esse reddi-

---

(1) L. 60. § 2. D. *de leg. III.* (2) L. 52. § 15. D. *pro soc.* Add. l. 7. D. *ad SCtum Treb.* (3) L. 12. § 6. C. *de aedif. priv.* (4) L. 17. § 1. C. *de SS. eccles.* (5) L. 9. C. *de evict.* (6) L. 16. eod. (7) L. 5. D. *de imp. in res dot.*

tam: »non enim absumtum est, quod in corpus patrimonii versum est" (1); modo scil. ex usuris sive reditibus eas fecerit: hinc »sors legata, ut ex usuris se alat" (2): si vero ab ipsa sorte semper eas demat, neque ex accepto productorum pretio eas refundat, patet hanc reddi minorem; ut de dote v. c. probatur (3), et etiam universe affirmatur (4). Attamen aliquanto pauperior factus est (5); scil. cum ex fructibus suis productis, id est, ex reditibus illas impensas debet solvere, non potest id quod ex reditibus pervenit, sorti addere, ut de novo adhibeatur ad producendum. Quamvis igitur eae impensae fiant ex productione, proprie pertinent ita erogata ad lucrum ex negociatione vel alia industria ortum (6): usu autem hominum invaluit, id *lucrum* dicere, eos vocare *fructus*, *reditus*, ex quibus impensae eae jam sunt deductae: »fructus intelliguntur, deductis impensis, quae quaerendorum, cogendorum, conservandorum eorum gratia fiunt" (7); »fructus eos esse constat, qui deducta impensa supererunt" (8). Lucrum (9) igitur integrum id demum

---

(1) L. 23. D. *de adim. v. transf. l.* (2) L. 8. § 4. D. *de transact.* Add. Nov. 72. C. 8. (3) L. 5. D. *de imp. in res dot.* Add. l. 1, 2, 3, 14, 15. eod. (4) L. 37. D. *de hered. pet.* (5) Et contra, locupletior est, si potuit illis impensis partim ex alia causa supplere quam ex industriae productis (cf. l. 25. § 12. D. *de hered. pet.* Add. SAV T. III. p. 28, sqq.), v. o. vestiario, calceario, alimentis legatis: l. 4, l. 39. § 2. D. *de alim. leg.*, l. 8. § 1, 12, 14. D. *de transact.* (6) Quod a recentioribus dicitur *produit brut.* SAV T. I. p. 21. (7) L. 36. § 5. D. *de hered. pet.* (8) L. 7. pr. D. *sol. matr.* Add. l. 1. C. *de fruct. et lit. exp.* (9) Proprie accuratius etiam distinguebant JCti Rom. inter lucrum et quaestum: *lucrum* erat universum nomen; *quaestus* vero compendium ex una quadam negociatione ortum: *quaestus integer* ratione *sortis productivae* dici possit. Cf. l. 13. D. *pro soc.* coll. cum l 7, 8, 12. eod. Add. l. 45. § 2, l. 71. § 1. D. *de acq. v. om. hered.*

est, quod omni damno, omnibus impensis deductis, superest: »MUCIUS [SCAEVOLA] scribit, non posse societatem coïri, ut aliam damni, aliam lucri (1) partem socius ferat: SERVIUS ait, nec *posse* societatem ita contrahi: neque enim lucrum intelligitur, nisi omni damno deducto; neque damnum, nisi omni lucro deducto" (2). Hoc lucrum, rursus sorti productivae additum, dici potest »incrementum negociationis" (3); et revera, *incrementum:* nam plane novum quid creatum est: ditior, locupletior non tantum unus ille homo, sed per eum tota civitas est: etenim lucrum illud est id quod excedit ex compensatione laboris et sortis ab ipso adhibitae; novus valor est productus ab eo; quique pretio justo hunc valorem acquirit, aequivalens pretii accipit.

...Factus est locupletior. - An igitur is qui reditus sortis suae comedit, quique usuras suas in ludis et bacchanalibus perdidit, factus est *pauperior?* Non statim; nisi in quantum *non ditior* s. locupletior redditus est: servavit quae habebat; sors ipsius integra est, ut ante; igitur proprie eaedem manent ejus facultates; non fit pauperior: » neque enim pauperior fit, qui non acquirat, sed qui de patrimonio suo deposuit" (3). Hoc autem spectari, si *reditibus* tantum suis utitur, patet ex JCtorum interpretatione prohibitionis donationum inter virum et uxorem, quae tunc erant prohibitae, cum alterius damno alter fiebat locupletior; sed licitae, si vel alter non pauperior factus erat, vel alter non ditior (4): - alter

---

(1) Hic *lucrum* sign. *lucrum brutum*, ut ita dicam. (2) L. 30. D. *pro soc.* Add. l. 55. eod. (3) L. 5. § 13. D. *de don. int. vir. et ux.* Cf. l. 5. § 16, l. 7. § 1, l. 15. § 1. eod., l. 5. § 5. D. *de jur. dot.*, l. 71. § 1. D. *de furt.* (4) Cf. Cons. SOEK, diss. jur. *de don. int. vir. et ux. confirm. ex orat.* ANT. CARAC. Lugd. Bat. 1838. p. 6, 17.

non pauperior; v. c. si ex reditibus donaverat (1); alter non ditior, si consumserit accepta (2). Hoc solum igitur spectantes rectissime responderunt JCti, imo subtilissime distinxerunt, dicentes, non fieri eum pauperiorem (3): »quia non debeat videri is damnum facere, qui eo veluti lucro, quo adhuc utebatur, prohibetur; multumque interest, utrum damnum quis faciat, an lucro, quod adhuc faciebat, uti prohibeatur" (4). - Non enim negabant, illum qui his usuris productive uteretur easque sorti adderet, non fieri locupletiorem: contra, aequiparatur minus illud lucrum omni alii damno: »aut quod habuerunt amiserunt, aut *quod acquirere emolumentum potuerunt, omiserunt*, aut se oneri quod non suscipere licuit, obligaverunt" (5); »nam hoc ipso, quo non est pauperior factus, locupletior est" (6); hinc illud *locupletior fieri* saepius opponitur τῷ *male consumere* (7).

Male autem consumit suos reditus, - non si producta incorporalia emat; harum enim, ut vidimus (8), summa esse potest utilitas; - sed si impensas facit voluptuarias, nullam in rem utiles, nulla re urgente factas (9). Ob has igitur non consequitur quis actionem (10): ad eas refer monumenta mortuorum (11), aurum, argentum legatum (12),

(1) L. 15. § 1, l. 16, l. 17, l. 32. § 9, l. 55. D. *de don. int. vir. et ux.* (2) L. 31. § 9, l. 32. § 9. eod. (3) Cf. SAV T. III. p. 37. (4) L. 26. D. *de damn. infect.* (5) L. 44. D. *de minor.* (6) L. 47. § 1. D. *de solution.* Add. l. 1. C. *de pet. hered.*, l. 11. C. *quod cum eo, qui in al. p.*, l. 20. C. *de jure dot.*, l. 21. C. *de don. int. vir. et ux*, l. 9. C. *de usuc. p. empt.* (7) L. 13. D. *de reb. cred.*, l. 29. D. *de cond. indeb.*, l. 13. D. *de cond. furt.*, § 1. in f. Inst. *quibus alien. lic.*, l. 8, l. 17. C. *de don. int. v. et u.* (8) Supra, p. 81. (9) L. 3. § 4. D. *de in rem v.*, l. 27. pr. D. *de neg. gest.* (10) l. l. Add. l. 31. § 4. D. eod. (11) L. 1. § 6. D. *de mort. inf.*, l. 2. § 6. D. *de religios.*, l. 11. D. *de cond. caus. dat.*, l. 12. § 17. D. *mand.*, l. 50. § 1. D. *de hered. pet.*, l. 18. § 2. D. *fam. ercisc.* (12) Cf. D. tit. *de aur. arg. leg.*

commodatam ostendendi causa pecuniam (1); ad ornatum, honorem (2), ludos civitatis (3); auri argentique sparsiones (4); cett.

Eatenus igitur fit pauperior (et per eum tota civitas), quod non utiliter re sua usus est, quod sors ejus productiva (adeoque, divitiae nationis) non aucta est. Plane igitur idem est, quod ad nationis divitias, utrum terrâ sortem condiderit.

Si vero reditus alicujus sortis non sufficit his luxuriae impensis, modum non tenenti immoderatae luxuriae (5), ipsa sors, quae ceteroquin usuras proferret, vel adhibita in industriae genere fructus, tota perditur; et cito non tantum se pauperiorem, sed pauperrimum, sed miserabilem reperiet. Talis igitur luxuria quam maxime ipsi nocet, et proinde civitati; neque absque ratione in prodigos durissime Romani statuerunt, qui facultates suas dilapidarent; nimiamque luxuriam magna cura compescuerunt (6).

Ceterum, ut alicujus reditus annuos computes, omnia, ex diversis industriae generibus interdum, saltem ex diversis negociationibus orta tam lucra quam damna debes spectare et una enumerare: »si in alia re lucrum, in alia damnum illatum sit, compensatione facta, solum

(1) L. 18. § 1. D. *de reb. cred.*, l. 3. § 6. D. *commod.* Interdum tale commodatum prodest revera commodanti, si mercedem accipiat usus: ut v. g. »si eas mensas argenteas et ejus generis argentum haberet, quo ipse non temere uteretur, sed commodare ad ludos et ad ceteras apparitiones solebat;" l. 28. D. *de aur. arg. l.* (2) L. 73. in f., l. 117, l. 122. pr. D. *de leg. I.* (3) L. 54. § 2. D. *de hered. pet.* (4) Nov. 105, praef. (5) L. 3. § 6. D. *de in rem v.*, l. 16. D. *mand.* (6) L. 40. pr. D. *de damn. inf.*, l. 16. pr. D. *de manum. vind.*, Nov. 105. C. 2. § 1.

quod superest, intelligitur lucro esse" (1). Illius infelicis eventus causa esse potest multiplex; v. c. anni tempestate agri cultus pro parte erit inutilis; tunc »quod in sementum erogatur, si non responderunt messes, ex vindemia deducetur, quia totius anni unus fructus est" (2), vel cum sedes mercimonii longius abest atque per ministros res male geritur: »saepe enim de suis facultatibus amplius, quam in his est, sperant homines; quod frequenter accidit his, qui transmarinas negociationes, et aliis regionibus quam in quibus ipsi morantur, per servos atque liberos exercent: quod saepe adtriti istis negociationibus, longo tempore id ignorant" (3). Semper enim id damno est homini, si nescit accurate quî in remota regione facultates suae se habeant: »quisquis major aetate praedia, etiam procul posita, distraxerit paulo vilius, pretii nomine, repetitionis rei venditae copiam minime consequatur: neque enim inanibus immorari sinatur objectis, ut vires locorum sibimet causetur incognitas, qui familiaris rei scire vires vel merita atque emolumenta ante debuerat" (4). Plurimae autem tales erant uni saepe Romano possessiones peregrinae et longinquae (5); adeo ut frequens mentio sit tutoris »rei Africae vel rei Syriaticae" (6), et multarum aliarum regionum (7). – Quum autem mercatores aliique semper expensarum et redituum

---

(1) § 2. Inst. *de societ.* (2) L. 8. § 1. D. *sol. matr.* (3) L. 10. D. *qui et a quib. man.* Add. § 3. Inst. *quib. ex caus. man.* (4) L. 15. C. *de resc. vend.* (5) L. 35. pr., l. 78. pr. D. *de hered. inst.*, l. 111. D. *de leg. I*, l. 77. § 20. D. *de leg. II*, l. 35. § 1. D. *de leg. III*, l. 6. D. *de instrum. v. instr. l.*, l. 100. D. *de solut.*, l. 3. § 7. D. *judicat. solv.*, l. 5. C. *de auct. praest.*, l. 2, l. 11. C. *de excusat.* (6) L. 15. D. *de testam. tut.* (7) L. 27. D. *de tut. et cur.*, l. 3. § 4, l. 34. § 3, 7, 8, l. 47. § 2, 7, l. 51. D. *de adm. et per. tutt.*, l. 19. D. *de excusat.*

libros haberent, et alteri deberent, alteri crederent (1) (hinc *aes alienum* est, quod nos alii debemus, *aes suum* est, quod alii nobis debent (2)), facile potuit evenire, ut uno loco solvendo fuerit quis, altero, non: at hoc minime prohibet, quominus tamen universe ejus facultates bene se haberent: »cum non loci sit aes alienum, sed universarum facultatum: aes enim alienum patrimonium totum imminuere constitit, non certi loci facultates" (3).

Tali autem casu id maxime prodest (4), si fides ipsius nota sit ubique; nam quamvis sortis in mercimoniis latissima sit facultas, tamen interdum fides major etiam est: »Proculus ait, semper in satisdationis stipulatione venire, quod interesset stipulantis; ut alias tota sors inesset, veluti si idoneus promissor non sit; alias minus, si in aliquid idoneus esset debitor; alias nihil, si tam locuples esset, ut nostra non intersit satis ab eo accipere; nisi quod plerumque idonei, non tam patrimonio quam fide quoque aestimarentur" (5). Hinc, cum fides tantum valeat, plurimi interesse potest, ne facultatum perversa conditio omnibus nota sit: prudens igitur erit tutor, qui pupillum alit ipse, potius quam Praetorem rogat, ut pro modo facultatum ei constituantur alimenta, si hae facultates paucae sunt; »quod interdum etiam necesse est fieri, ne secreta patrimonii et suspectum aes alienum pandantur; quod melius est interdum taceri, quam cum de modo bonorum quaeritur, ultro proferri, et apud acta jus dicentis contra utilitatem pupilli designari" (6). Ex eadem

(1) L. 10. § 10. D. *quae in fraud. cred.* (2) L. 213. § 1. D. *de verb. sign.* (3) L. 50. § 1. D. *de judic.* (4) Cf. SAT T. II. p. 300. (5) L. 112. § 1. D. *de verb. obl.* Add. l. 137. § 4. D. eod., l. 13. pr. D. *de re judic.*, l. 3. D. *de fidejuss.*, l. 80. D. *pro soc.* (6) L. 2. C. *de alim. pup. praest.*

causa repetas curam honestorum virorum, ne ipsorum cum argentariis contractus noti fiant: »propterea quod ipsorum collegium multis et praecipue nobilibus credat, qui contractus suos publicari, aut statum rerum suarum manifestum fieri non sustinent, maluntque, ut consentaneum est, divites quam obaerati videri" (1).

(1) Edict. 7. C. 2. pr.

CAPUT SEXTUM.

DE ADMINISTRATIONE BONORUM.

Cura bonorum administrationis: principia a quibus Romani profecti sunt in bon. admin.: - I°. in solvendis aere alieno et impensis; II°. in conservatione eorum quae restarent; III°. in pecuniae utiliter adhibendae ratione 1°. ad praedia rustica emenda, 2°. elocanda in usuras. - Non defectu administrandi scientiae, sed publicis ex causis decrevit sub Imperatoribus sors nationis Rom.

Ad finem perductis iis quae praecipua dicenda habebam de priori Oeconomiae Politicae apud Rom. parte, quae constat in Jctorum opinionibus de productione, distributione, et consumtione divitiarum; ante quam ad alteram, eamque minorem, transeamus de cura publioa Imperantis deque publicis reditibus et expensis, pauca disserenda duxi de Romanorum principiis circa probam et utilem bonorum administrationem.

Universe nota est cura, quam gesserunt Romani, ut quicunque bona aliorum administrarent, facerent quam optime; idque perspicuum est in tota eorum legislatione

de negotiis gestis, mandato, rebus dotalibus, tutela, cura, hereditatis aditione, atque bonis publicis. At hoc loco non incongruum est, ut ipsa principia, a quibus profecti sunt, accuratius intueamur: quae uti aliquoties fuerunt immutata, ita apparebit, eas mutationes, vel progressum notare scientiae vel publico rerum statui esse annexas.

Primum videndum est, quam rationem iniverint solvendi aes alienum, ceterasque impensas quae necessario erant faciendae; tum de administratione eorum quae inde restabant; tandem, et inprimis, de pecuniae utiliter adhibendae ratione agemus.

Quod ad aes alienum igitur, et quotidianas impensas, docetur (idque semper constitit), eas fieri debere ex rebus quae usu consumuntur, vel deteriores fiunt mora: »si quidem in hereditate est vinum, oleum, frumentum, numerata pecunia, inde fieri debebunt impendia" (1). Si autem tale quid non sufficeret, olim ANTONINI PII tempore, a. u. 891, et deinde, praedia vendebant vel obligabant; et cum haec non sufficerent, demum jura et nomina debitorum: »in venditione igitur pignorum captorum facienda, primo quidem res mobiles animales pignori capi jubent, mox distrahi: quarum pretium.. si non suffecerit, etiam soli pignora capi jubent et distrahi:... quod si nec quae soli sunt, sufficiant,.. tunc pervenietur etiam ad jura:... sic quoque judices exsequentur judicatum, ut nomina jure pignoris capiant, si nihil aliud sit quod capi possit" (2). Eo igitur tempore pluris habebantur bona nomina quam praedia: quod argumento est, tunc temporis magnas eos sortis accepisse usuras, satisque

---

(1) L. 6. D. *de jure delib.* (2) L. 15. § 2, 8. D. *de re jud.*

secura fuisse debita (1); ut non melius fuerit, sibi retinere praedium, cujus numquam fere tanti sunt reditus (2), quam ipsa nomina debitorum. At hoc plane mutatum videtur posteriori tempore; vel quod locandi pecuniam non tantum erat lucrum; vel quod agri melius colerentur; vel tandem quod universe probae administrationis principiis convenientius duceretur. Quidquid sit, oratione Imp. SEVERI, in Senatu habita a. 947, jussum est, ut ultimo semper loco, nec nisi summa ex necessitate venderentur praedia rustica et suburbana: »quaerere ergo debet [tutor], an pecuniam pupillus habeat, vel in numerato, vel *in nominibus* quae conveniri possunt, vel in fructibus conditis, vel etiam in redituum spe atque obventionum. Item requirat num aliae res sint, *praeter praedia*, quae distrahi possunt, ex quorum pretio aeri alieno satisfieri possit. Si igitur deprehenderit, non posse aliunde exsolvi quam ex praediorum distractione, tunc

(1) Hinc in l. 3. D. *de eo quod c. l.* conjunguntur *leves* usurae cum *facilius* invenienda pecunia; *difficilius*, cum *gravibus* usuris.
(2) Argum. l. 4. D. *de pact. dot.*, ubi dicitur: »quod si fundus vel ususfructus in hoc traditus est, non ut fundus vel fructus fieret dotalis, sed ut fructus perciperet dotis futuros, cogendum de dote actione, fructus reddere. Erunt igitur in dote fructus; et fruetur iste usuris, quae ex fructibus collectis et in sortem redactis percipi possunt. Ego utrubique arbitror interesse, qua contemplatione dos sit data; ut si ob hoc ei *majorem dotem* mulier dedit, quia fructus volebat esse dotis, *contento marito* ea pecunia, quae ex usuris redituum colligitur, posse dici, conventionem valere.'' — Docetur enim ibi, minores esse reditus fundi locati et alii pro mercede colendo dati, quam, alienato fundo, pecuniae in usuras expositae: hinc *majorem* dedit dotem mulier, ut *contentus* esset maritus *usuris redituum;* id est, annua pensione, quam solvit ipsi agricola pro fundi usu ex *reditibus fundi:* reditus enim hujus sunt quos quotannis ex fundo culto redigit; ex his pendit domino fundi *usuras* sortis, quae huic in eo fundo consistit.

permittet distrahi, si modo urgeat creditor, aut usurarum modus parendum aeri alieno suadeat" (1). Igitur ex reditibus, non ex sorte, solvendum putabant; ex aliis rebus (nominibus quoque), potius quam ex praediis bene cultis; ei qui urgeret, vel cui sub gravibus usuris debebatur; ceteroquin utilius erat, non tam subito solvere. Addatur hic locus (2): » igitur si quidem in hereditate t vinum, oleum, frumentum, numerata pecunia; inde fieri debebunt impendia: si minus, a debitoribus hereditariis exigenda pecunia:... vescendi gratia aeque diminui permittet [praedia]; sed et ubi urget, ex aliis causis permittere eum oportet; ut aedificia sarciantur; ne agri inculti sint; si qua pecunia sub poena debeatur; ut restituantur pignora; ne distrahantur" (3). Ceterum ipsi tutores in pupillorum commodum erogata quam citissime recipiant, » ut promptius quid de suo pro pupillis impendant, dum sciunt se recepturos id quod impenderint" (4): sed ne ipse pupilli bona alienet ut sibi solvat: » si tamen fuit in substantia pupilli, unde consequeretur, dicendum est, non oportere eum usuras a pupillo exigere" (5).

Haec sufficiant de principiis Rom. in distrahendis rebus ad solvendum aes alienum ceterasque impensas; jam videamus, quid fieri voluerint de iis quae superessent.

Si solutiones faciendae non tantae erant, ut omnes res, quae usu deteriores fiunt et minus sunt utiles, vendere necesse fuerit, has tamen priori looo distrahat, ut pecuniam inde redactam utiliter possit erogare: » tutoribus et curatoribus licere, fructus sive qui ex reditibus praedio-

---

(1) L. 5. § 9. D. *de reb. eor. qui sub tut.* (2) L. 6, 7. § 3. D. *de jure delib.* (3) Sic legendum credo pro: » ut restituantur; ne pignora distrahantur." (4) L. 1. pr. D. *de contr. tut. et ut. act.* (5) L. 3. § 5. eod.

rum colliguntur, sive qui ex substantia personarum, quarum gubernationem habent, inventi fuerint,.. sine decreto distrahere justo pretio quod, in his locis in quibus venditio celebratur, tunc temporis noscitur obtinere, et quae ex venditione eorumdem fructuum colliguntur, pecuniae cum alia pupillorum vel adultorum aliarumque personarum substantia administrentur" (1); » usque adeo autem licet tutoribus patris praeceptum negligere: ut si pater caverit, ne quid rei suae distraheretur; vel ne mancipia distrahantur; ne vestis, ne domus, ne aliae res periculo subjectae; liceat iis contemnere hanc patris voluntatem" (2). Imprimis igitur res nimis sumptuosae vendendae sunt, atque illae quae mora fiunt deteriores (3): - et hac quoque in re semper sibi constiterunt tam legislatores quam interpretes.

At ceteris rebus quî ntendum est? Quid de auro argentove facto, de servis, tam rerum domesticarum scientia quam arte insignibus, quid de aede paterna ceterisque praediis urbanis? Olim ex oratione SEVERI jubebantur bonorum administratores haec omnia vendere, ut pecunia inde redacta uterentur imprimis ad praediorum rusticorum comparationem (4). Aliud placuit CONSTANTINO Imp. dicenti (5): » lex, quae tutores curatoresque necessitate adstrinxit, ut aurum, argentum, gemmas, vestes,

---

(1) L. 28. § 5. C. *de admin. tut.* Add. l. 5. § 1, l. 6. D. *de jure delib.*, l. 5. § 22. D. *ut in poss. leg.* et l. 8. D. *quib. ex caus. in poss.*, ubi pro » et si ita res urgeat, vel conditio, bonum etiam hoc" cet., lege » et si ita res urgeat vel conditio bonorum, etiam hoc," cet. Cf. l. 7. § 11. eod. (2) L. 5. § 9. D. *de adm. et per. tutt.* (3) l. l. 5. § 1. D. *de jure delib.* (4) Cf. fragm. orat., ut exstant in Tit. D. *de rebus eorum, qui sub tutela* cett. (5) L. 22. C. *de admin. tut.*

caeteraque mobilia pretiosa, urbana etiam (1) mancipia, domos, balnea, horrea, atque omnia quae intra civitatem sunt, venderent, omniaque ad nummos redigerent, praeter praedia et mancipia rustica, multum minorum utilitati adversa est." Non igitur illas vendere permittit, nisi et per inquisitionem judicis et probationem causae: servos vendi prohibet, quia res omnes, quaenam sint et quales, noscant, et dominis adstricti sint, et si artifices sint, locari eorum possit usus pro mercede; aurum et argentum, quia dein majori pretio illud esset redimendum, retineatur; aedes conservari vult et refici, ut locentur et reditus praebeant. Sed sub his aliisque, quatuor imprimis latuisse videntur rationes; quarum una utilitas fisci erat, ut ita tributa, rebus non personis imposita (2), majora solverentur. At ne credas, hanc solam movisse CONSTANTINUM, ut utilitatem quae forte in venditione rerum sita esset, pupillis negligeret: etenim videtur reputasse (et haec altera ratio est), universe utilius esse conservare res, quae sunt, quam alias emere, licet forte plus dare viderentur redituum: et in multis sane non fefellit eum opinio; nam aedes v. g. Constantinopoli, ut in urbe recens extensa, et Romae quoque, postquam non ita erat repleta et obsessa civitas omnis generis incolis qui aulam sequuntur, non tam subjectae erant metui incendiorum atque antea; igitur, si bene possent locari parvis refectionum impensis, magnos reditus ex iis licebat ducere; servorum artificum optime poterat locari opera; sed tutores non adamabant eam curam, ne nimis

(1) Verba *praedia et* post *urbana etiam* recte uncis includuntur, nec pertinere ad legem videntur; irrepserunt ex similitudine seqq. *praeter praedia et mancipia rustica.* (2) L. 3. C. *de annon. et trib.*

obruerentur periculo culpae in administratione: - et tandem, si ponas saepius plus quam justum solvi pretium pro re, semper autem aliquas esse emt. venditionis impensas, potuit revera magis prodesse pupillis, conservare quae habebant quam alia acquirere. - Sed praeterea duae erant aliae rationes, quae illud conservandi commodum augebant, vendendi minuebant; scil., et praediorum rusticorum comparatio minus erat facilis, et depositum pecuniae usurarium erat minus securum. Ut autem illud bene explicemus (et simul, tertio loco, de pecuniae utiliter adhibendae ratione apud Romanos agamus), res altius repetenda est.

Quamvis, ut jam vidimus supra, pecunia in usuras deposita majorem reditum daret quam terrae fundus, semper tamen jubentur tutores, aliique bonorum administratores, praedia comparare ex pecunia eorum curae commissa: »si pecunia sit, quae deponi possit, curare ut deponatur ad praediorum comparationem" (1); modo sufficiat pecuniae summa (2), et occasio sit praedia bona acquirendi (3). Causa hujus jussi posita est in Romanorum prudentia, videntium magis securam esse possessionem bonorum immobilium, quam omnium aliarum rerum; quae securitas optime compensat minorem forte reditum qui ita acquiritur. Praeterea multa erant immobilium privilegia (4), eorumque cura in legibus habebatur quam maxima (5); verbo »causa posessionis habetur publica" (6): debent igitur tutores aliique deponere pecuniam, donec occasio emendi vel sufficiens pecuniae quan-

(1) L. 3. § 2. D. *de adm. et per. tutt.*, l. 15. § 12. D. *de re judic.*
(2) L. 5. pr. D. *de adm.* cett. (3) L. 7. § 3. eod. (4) Cf. v. g. Dig. tit. *de satisdat.* (5) Titt. Dig. *de finibus regundis*, *de abigeis*, cett. (6) L. 27. § 4. D. *de pact.*

titas sit, ut praedium ematur (1). Si alterutrum igitur impediat praediorum acquisitionem, tum demum pecuniam foenori dent (2); modo sit, cui credat (3). Olim igitur, quamvis praeferretur administrantibus acquisitio praediorum, tuta quoque erat pecuniam elocandi ratio foenus: hinc interdum alteri alterum praeponitur: »ob foenus pupillaris pecuniae per contumaciam non exercitum, aut fundorum omissam comparationem, tutor si non ad damnum resarciendum idoneus est, extra ordinem coercebitur" (4); vel utrumque jungitur: v. c. »si justa causa fuerit propter quam integra centum custodirentur, veluti si periculum erat, ne praedia in publicum committerentur, ne poena trajectitiae pecuniae augeretur, aut ex compromisso committeretur" cet. (5). Constantini autem tempore minor quoque erat foenoris usurarii securitas: »ipsius pecuniae (in qua robur omne patrimonii veteres posuerunt) foenerandi usus vix diuturnus, vix continuus et stabilis est: quo subsecuto, intercidente saepe pecunia, ad nihilum minorum patrimonia deducuntur" (6). Aliquod tempus post, novas videmus querelas de praediis comparandis; cum arcadius et honorius imperaverint (7): »aurum argentumque et quicquid vetustate temporis non mutatur, si in pupilli substantia reperiatur, in tutissima custodia collocent; ita tamen ut ex mobilibus aut praedia idonea comparentur, aut si forte (ut adsolet) idonea non potuerunt inveniri, juxta antiqui juris formam usurarum crescat accessio: quarum exactio ad periculum tutorum pertinet." Dubitari potest, quaenam verborum *ut adsolet*

(1) L. 7. § 2. D. *de minor.*, l. 3. § 16. D. *de suspect.*, l. 5. pr. l. (2) L. 5. pr., l. 7. § 4, l. 15. D. *de adm. et per. tutt.* (3) L. 12. § 4. eod. (4) L. 49. D. eod. (5) L. 13. D. *de negot. gest.* (6) L. 22. C. *de adm. tut.* (7) L. 24. eod.

sit interpretatio: nam significare possunt, pleraque praedia esse infructuosa, minus recte culta, et tributis solvendis onerata; vel contra, quod magis credo, securitatem praediorum comparationis fecisse, ut plurimi ea exoptaverint, et interdum carius emerint, adeo ut eorum acquisitio difficilis esset: potuit autem ipsa CONSTANTINI invectio in usurarum foenus, huic praediorum caritati ansam dedisse (1). Quidquid sit, durissimum sane tutoribus, et quamvis optimo in pupillos consilio, tamen valde iis noxium fuit, ut exactio usurarum tutorum periculo fieret. Ita enim, tutores ne ausi quidem fuerunt elocare in usuras pupillorum pecuniam, metu, ut ipsi forte periculum inde paterentur. Non sine causa igitur et optimis rationibus hunc juris rigorem laxavit JUSTINIANUS, dicens (2): » videmus autem praecipue difficilem esse curatorum causam propter foeneratorum necessitatem: sancimus, nullam necessitatem ex legibus esse curatoribus minorum pecunias foenerare; sed caute reponere et reservare: quoniam melius est, iis in antiquis tutamen manere, quam usurarum appetitione etiam antiqua pecunia cadere:.. licebit autem ei cum omni subtilitate perscrutari, si aliquos forsan invenire caute potuerit reditus, et comparare minori ex abundantibus pecuniis, modicis functionibus publicis obligatos" cet. – At misera civitas, in qua tali remedio opus erat, ut pecunias suas servare cives possint; et praesertim in ea civitate durum illud, in qua, ut vidimus, pulcherrima administrationis praecepta cum legum exercitio erant conjuncta: argumento rursus, quantum insignis Imperii moles, et praesertim

(1) Ut antea jam factum fuerat. Cf. TACIT. *Ann.* VI. 17.
(2) Nov. 72. C. 6, 7.

turbulenta civitatis conditio tam civibus, corumque commodis privatis, quam divitiis universae nationis nocuerit.

Etenim ex hac pecuniam elocandi difficultate et periculo, qua cuncti de ipsa sorte, non amplius de reditibus, vivere cogebantur, et omnis fere industria perire debuit, - facile licet omnibus assequi quantum posteriori Imperii tempore diminuta esse debuerit sors nationis Rom: - at, repeto, erraverint, hoc pejori administrationi rerum et sortium tribuentes quam antea fuerit; cum contra ex multis locis probaverim, eos revera progressos fuisse in administrandi scientia: sed minor praeda hostium, minora tributa aliarum gentium, incursiones barbarorum quae late extensum populi Rom. Imperium undequoque devastabant; ecce quae divitias minuerint, et sortes otiosas augere prohibuerint. Ut autem exemplo probem, quantum interfuerit in sortium et divitiarum aestimatione, seculo AUGUSTI et JUSTINIANEO, jam afferam quaedam de liberto, qui dicitur, centenario.

Lege Papia Poppaea fuit cautum, ut ex bonis ejus liberti, qui sestertiûm minus quam centum millium patrimonium reliquerat, nil deberetur patrono, si liberos haberet. Igitur » summa haec pro AUGUSTI aevi opulentia minor procul dubio videbatur, quam ut ejus rationem haberent leges" (1). Vide autem quaenam scripserit JUSTINIANUS (2): » sed nostra constitutio... ita hujusmodi causam definivit, ut si quidem libertus vel liberta minores centenariis sint, id est minus centum aureis habeant substantiam (sic enim legis Papiae summam *interpretati* sumus, ut pro mille sestertiis unus aureus computetur)

---

(1) HEINECC. *Antiq. Rom.* ad L. III. T. 8. Inst. p. 517. Ed. HAUBOLD. 1822. (2) § 3. Inst. *de success. libert.*

nullum locum haberet patronus in eorum successione: si tamen testamentum fecerit" cet. Igitur assimilavit mille sestertios uni aureo; vel potius id quod ex lege Papia Poppaea obtinebat, si *centum mille sestertios* libertus possideret, ille obtinere voluit, si *centum aureos* haberet. Atqui constat ex loco SUETONII (1) collato cum TACITI loco (2), a. u. c. 823. unum aureum assimilatum fuisse, idem significasse, ejusdem valoris fuisse, ac centum sestertii; et revera haec constans auri et aeris fuit posteriori tempore apud Romanos ratio, ut cum uno aureo centum (vel centum et viginti interdum) aenei nummi convenirent (3); - itaque cum JUSTINIANUS voluit, ut id quod olim obtinebat cum mille aureos possideret, nunc jam obtineret cum centum haberet aureos, notat, divitias nationis decies fere fuisse diminutas (4).

---

(1) *In vita OTHONIS*, C. 4. (2) *Histor.* L. I. C. 22. Aliter hos locos explicare studet CUJAC. *Obs.* XIX. 31. (3) Cf. supra, p. 17, sq. (4) Nec obstat huic explicationi l. 49. D. *sol. matr.*, ubi dicitur: »instrumentum solidorum decem tradidit, quo... eidem... caverat, daturum se, cum nuptum ire coepisset, decem millia." Praeterquam enim quod in instrumento verba *solidorum decem* non explicarentur additis dein *decem millia*, JCti eo tempore *solidorum* nomine non utebantur: nimirum TRIBONIANUS illud PAULI exemplum, secundum sui ipsius aevi computandi rationem immutavit; et pertinet lex ad sexcenta ab eo interpolata JCtorum fragmenta. - Add. HEINECC. *ad leg. Jul. et Pap. Popp.* L. II. C. 22. p. 350.

CAPUT SEPTIMUM.

DE CURA SUMMI IMPERANTIS QUOAD LIBERAM PRODUCTIONEM.

Inutile est jussum Summi Imperantis circa productionem; quisque optimus de suo commodo judex est: industriae exercitium pendet ab occasione vendendi, sive a consumtione. Interdum certis finibus circumscribenda est productio; si vel 1°. civitas rem illam sibi requirit; - evictio; - vel 2°. non omnibus vendere sinit; - vel 3°. quasdam res a privato produci et vendi prohibet. Sed modica industriae universae cura non est improbanda: ut, ne unum alteri noceat; cura mensurarum, ponderum; itinerum, fluminum, cursus publici; ne quis lucretur damno alterius. Corpora et collegia; conventiones mercatorum illicitae: arcentur nobiliores, ne majori sorte et gratia ceteros deprimerent; aliique, ob varias causas. Specialis cura frumenti; monopolia Summi Imperantis.

A recentioribus de Oeconomia Pol. scriptoribus agnitum est, curam Summi Imperantis, qua velit prospicere utilitati singulorum, prohibendo a quibusdam rebus producendis, excitando et attrahendo ad alias, plane esse inutilem, imo saepius perversam; quoniam unusquisque optime scit, quid sibi prosit; et ea ratione sortem ope-

ramque suam adhibet qua plurimum lucri sibi parare possit (1). Idem JCtis Romanis videbatur: neque privatum consilium, neque publicum jussum huc quicquam pertinere judicabant: »si mandem tibi, ut pecunias tuas potius in emptiones praediorum colloces quam foeneres, vel ex contrario, ut foeneres potius quam in emptiones praediorum colloces,... magis consilium est, quam mandatum: .. quia *liberum est cuique apud se explorare, an expediat* consilium" (2): »nemo exterus religionis Judaeorum, Judaeis pretia statuet, cum venalia proponunt: *justum est* enim *sua cuique committere*" (3): nemo igitur prohiberi debet, qualiter velit, sua re uti (4). Si quis autem incertus sit de pretio quod pro re sua producta acquirere possit, alii eam tradere potest vendendam, »pretii explorandi causa" (5): tunc, si videt impensas rei producendae majores esse quam pretium oblatum, alii industriae generi se applicare potest. Saepius enim fit, ut pretium rerum lapsu temporis minuatur; et hinc sine dubio prudentissimum JCti consilium: »si defunctus dum viveret res venales habuerit, testamento tamen non caverit, ut distraherentur, abstinendum erit venditioni: non enim utique, qui ipse voluerit vendere, idem etiam postea distrahenda putavit" (6). Eo enim casu plerumque interest, res aliquamdiu servare, donec vendendi occasio melior sit: nam ab hac vendendi opportunitate, et lucrum majus minusve pendet (7); et revera igitur etiam

(1) Say T. I. p. 190, sqq. (2) L. 2. § 6. D. *mand.* Add. l. 14, 15. D. *pro soc.* (3) L. 9. C. *de judaeis*, ibique Goth. not. 15. Add. l. 8. D. *ad munic.*, l. 5. D. *de admin. rer. ad civ. p.* (4) L. 8. § 5. D. *si serv. vind.* (5) L. 1. § 2. D. *de praescr. verb.* (6) L. 1. § 3. D. *de rebus cor. qui sub tut.* cett. (7) L. 1. § 2. C. *de comm. serv. man.*

quantitas rerum hujus generis productarum; quae major erit, si plus consumatur; minor, si pauci sunt utentes, atque parvum adeo lucrum: »rei, quam venalem possessor habebat, litem proprietatis adversarius movere coepit; et posteaquam opportunitatem emptoris cui venundari potuit peremit, destitit: placuit possessori hoc nomine actionem in factum cum sua indemnitate competere" (1).

Interdum tamen prohibere debuit Imperans Rom. in quibusdam rebus illam liberam sua re utendi facultatem: 1° si salus publica aliqua privati re indigebat: 2° si publica salus requirebat, ut quibusdam cum personis commercium non haberetur: 3° si quasdam res a privatis produci vel vendi noxium erat.

Quod ad primum, universe tenendum, illam utilitatem publicam non nimis extendendam esse, neque temere circumscribendos esse cives in re sua utendo; secundum egregium illud CICERONIS praeceptum (2): »videndum erit ei, qui Remp. administrat, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice diminutio fiat." Semper autem aestimatio rei publice evictae erit reddenda: »si constat, in tuo agro lapidicinas esse, invito te, nec privato, nec publico nomine, quisquam lapidem caedere potest, cui id faciendi jus non est; nisi talis consuetudo in illis lapidicinis consistat, ut si quis voluerit ex his caedere, non aliter hoc faciat, nisi *prius* (3) solitum solatium pro hoc, domino praestat: ita tamen lapides caedere debet, *postquam* satisfaciat domino, ut neque usus necessarii lapidis intercludatur, neque commoditas rei jure domino adimatur" (4): imprimis quoque curetur, ut

(1) L. 33. D. *de dolo mal.* (2) *De Offic.* II. 21. 73.
(3) *Indemnité préalable.* C. Nap. a. 545, *gelijktijdige voldoening van de waarde.* Burg. Wetb. a. 649. (4) L. 13. D. *commun. praed.*

pretium illud solutum sit justae taxationis; et ne omnino majus sit, quam poscat utilitas publicae rei exstruendae (1).

Si in fundo colendo ex tali publico jure industriae noceatur, eo magis sane id obtinebit, si privatorum naves, quibus mercatura ceteroquin exerceretur, et lucrum quaereretur, a Summo Imperante ad certas publicas operas requirantur. Sub prioribus jam Rom. Principibus quaedam de tali onere legimus (2): sed imprimis postea illud onus gravissimum fuit, adeo ut mercaturam ipsam impedivisse videatur; cum certum per tempus quotannis naves privatae publicis utilitatibus inservire tenebantur, et transactiones s. felicem embolam publicarum specierum perficere (3). Nonnumquam ipsi mercatores cogebantur, in utilitatem publicam, oleum, frumentum et cetera alimenta vendere, ut inde aleretur plebs vel exercitus (4).

Haec autem utilitas publica (2°.) interdum in eo sita esse credebatur, ut prohiberentur mercatores et fabricatores producta quaedam in barbarorum usum transvehere, ab iisque emere; ut ita magis secura esset civitas ab eorum incursionibus, nec notae iis fierent artes et studia Romanorum: quam rationem eo facilius Romani sequi potuerunt, quia ab aliis quam a civibus Romanis has merces illi sibi parare non possent (5). Hoc tamen, ut facile intelligitur, multis subreptis negociationibus, et ita novis semper legibus ansam dedit, quibus illud commercium Imperatores vetarent: sic v. g. non licuit ad barbaros ex-

(1) L. 9. C. *de operib. publ.* (2) L. 3. D. *de separat.*, l. 5. § 3. D. *de jure immunit.* (3) Cf. l. 10. C. *de SS. eccles.*, l. 1, 2. C. *de navib. non excus.*, l. 9. C. *de murileg.* et GOTH. ad rubric. tit., Nov. 163. C. 2. (4) L. 1, 2. C. *ut nemini liceat* cet. Add. BURMANN. *de vectigalibus pop. Rom.* p. 29. (5) Huc pertinet quoque l. 3. C. *de serv. fug.*

portare vinum, oleum et liquamen, cet. (1); neque arma cujuscunque generis (2), neque cotem ferro subigendo necessariam (3), nec aurum, ne pro mancipiis quidem (4), nec navium conficiendarum peritiam (5); cet.

Praeterea (3°.) quaedam res emi vendi prohibitae erant universe, ut multae, quae vel erant publicae (6), vel ad monopolium civitatis pertinebant (de quibus dein agemus), vel omnino noxiae censebantur (7); merces ipsae et naves a fisco vindicabantur (8); imo etiam praemium erat constitutum iis, qui illicitae mercis negociatorem denunciarent (9).

Institutus fuit igitur Comes Commerciorum, qui imprimis vigilaret ut hae prohibitiones stricte tenerentur, quique universe rerum ad mercaturam pertinentium curam gereret (10). Nec quisquam dubitabit, quin maxime utilis, adeoque necessaria quandoque Summi Imperantis cura sit industriae privatae, modo restricta sit ad commoda industriae universe promovenda, nec se privatorum rebus nimis inmisceat (11). Romani id sibi persuasum habebant (12): cautiones de pecunia trajectitia, de jactu ex l. Rhodia, de navigandi libertate (13); de agris colendis,

---

(1) L. un. C. *de litt. et itin. cust.*, l. 1. C. *quae res export. n. d.*, l. 2. C. *quae res venire non poss.* (2) L. 2. C. *quae res export.* (3) L. 11. pr., l. 15. D. *de public.* (4) L. 2. C. *de commerc. et mercim.* (5) L. 25. C. *de poen.* (6) L. 4. C. *quae res ven. non poss.*, l. 5, 7. C. *de navicular.* (7) L. 11. § 3. D. *de public.*, l. un. C. *de litt. et itin. cust.*, l. 2. C. *de eunuch.*, l. 2. C. *de aedif. privat.* (8) L. 11. § 2. D. *de public.*, l. 3. C. *de naut. foen.* (9) L. 1. D. *de his quae ut indign.* (10) L. 1. C. *de annon. et capit. adm.*, l. 2. C. *quae res ven. non poss.*, l. 6. C. *de commerc. et mercim.* (11) Say T. I. p. 320. (12) L. 3. pr. D. *de off. praef. vig.* (13) L. un. D. *ut in flum. publ. nav.*, l. 1. C. *de nav. non excus.*, l. 1. C. *de litt. et itin. cust.*, l. 3. C. *de navicul.*

de metallifodinis, piscationibus, alluvione, cet.; de specificatione, operum redemptione, fabricis et tabernis id praeter omne dubium testantur. Huc quoque refer curam ne alterum industriae genus alteri noceat; v. g. »ne piscatores nocte, lumine ostenso, fallant navigantes, quasi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves, et qui in iis sunt, deducent" (1); sic »redemptores perficiant opera incoepta, ne damnum afferant iis qui domos suas fabricari cupiunt" (2); »non licet [negotiandi causa] aedificia demoliri et marmora detrahere" (3). Ad unumquodque fere industriae genus pertinet cura mensurarum, modiorum, ponderum, cet. quae efficiunt ut mercatores, ut fabricatores, ut agricolae sua producta pari mensura et pondere vendant, et hac in re nulla ubique sit differentia. Olim in diversis Imperii Rom. partibus discrepabant hae mensurae et pondera; ut patet ex hoc loco (4): »quibus mensuris aut pretiis negociatores vina compararent, in contrahentium potestate esse, neque enim quisquam cogitur vendere, si aut pretium aut mensura displiceat; praesertim, si nihil contra consuetudinem regionis fiat." Videmus enim ibi mensurarum differentiam pretii rationi aequiparari, quam nuspiam fere eandem esse, supra notavimus; ideoque in utroque loci consuetudinem esse spectandam. Utrum dein per omnes Imperii partes eaedem fuerint mensurae et pondera, ex hoc Juris Corpore quidem non liquet; sed, quod ad tributa solvenda (quae interdum in ipsis speciebus tradebantur), tales fuisse constitutas mensuras liquet ex hoc loco (5): »modios aeneos vel lapideos cum sextariis atque

(1) L. 10. D. *de incend. ruin. naufr.* (2) L. 12. § 8. C. *de aedif. priv.* (3) L. 2. eod. (4) L. 71. D. *de contr. emt.* (5) L. 9. C. *de susceptor.*

ponderibus per mansiones singulasque civitates jussimus collocari: ut unusquisque tributarius sub oculis constitutis rerum omnium modis, sciat, quid debeat susceptoribus dari;" cet. Praeterea certis utique personis erat commissum, curare ut fraus nulla in quacumque publica metiendi vel ponderandi ratione existeret; nec igitur per singulas civitates differrent mensurae: »ita ut provinciae moderator ejusque officium ad crimen suum noverit pertinere, si possessoribus ullum fuerit ex aliqua ponderum iniquitate allatum dispendium" (1): id curent etiam defensores civitatum (2): adeo ut hinc liceat statuere, Romanis quoque necessarium visum esse, ut pares fuerint, quantum possit, ubique mensurae; eamque curam imprimis civitatis securitati et utilitati omnium inservire.

Prae ceteris autem curandi modis, commendanda est cura mediorum, quibus opus est ad distribuenda producta per varias regiones; adeoque cura itinerum, fluminum, cet. (3), quae faciliorem reddunt inter se agendi et merces transportandi occasionem: »publice enim utile est, sine metu et periculo per itinera commeari" (4). Constituti igitur certi homines sunt, quibus earum rerum cura mandata est, imprimis Episcopi et tres bonae existimationis viri in civitate unaquaque »inspiciant opera facta; et curent, ut et metiantur et rationem conficiant, qui ea administrant, aut qui administraverunt: et in monumentorum gestione ostendant impletionem operum, aut administrationem sitonicarum et balneariarum pecuniarum, sive *quae in viis muniendis* aut aquaeductibus, aut aliis rebus consumuntur" (5); et imprimis fluminum

(1) L. 15. eod. (2) L. 9. C. *de defens. civ.* (3) Cf. SAY T. I. p. 231, sq. (4) L. 1. § 1. D. *de his, qui effud.* (5) L. 26. pr. C. *de episcop. aud.*

conditio ne fieret deterior, cautum est Praetoris jam edicto: »deterior statio itemque iter navigio fieri videtur, si usus ejus corrumpatur, vel difficilior fiat aut minor, vel rarior, aut si in totum auferatur. Proinde sive derivetur aqua, ut exiguior facta minus sit navigabilis, vel si dilatetur, aut diffusa brevem aquam faciat; vel contra sic coangustetur, ut rapidius flumen faciat: vel si quid aliud faciat, quod navigationem incommodet, difficiliorem faciat, vel prorsus impediat; interdicto locus erit" (1). Adde cursus publici curam, qui per totum fere Rom. imperium exercebatur, equis conductis ab aerario, locatis a privatis pro mercede: ubi dabantur evectiones, diplomata, quibus cursu publico utendi facultas datur; imprimis iis qui publice mittebantur, et ad provinciae administrationem pertinebant (2).

Non tantum Reip. intererat, qua ratione quis producebat valorem, et divitias tam suas quam universae nationis augebat; sed curare ejus quoque erat, ne divitiae, quas quis non producendo, vel productionis ratione habita nimias, conquireret, aliis nocerent; neque ita nationi prodessent universae: etenim ea demum vera divitiarum creatio est, quae alteri non nocet, sed sua opera novas excutit: »*prodesse* enim *sibi* unusquisque, *dum alii non nocet*, *non prohibetur*" (3). Hinc apud Romanos tot tantaeque leges et jussa, et apud JCtos imprimis tot responsa, quibus damno alieno locupletari aliquem vetabant: »nec enim debet ex alieno damno esse locuples" (4); quod ut

(1) L. 1. § 15. D. *de flumin. ne quid* cet. (2) Cf. Tit. C. *de cursu publ.:* praesertim l. 3, l. 11, l. 22. cet., l. 3. C. *de canon. largit.* et Nov. 130. C. 7. § 3. Add. Cons. LA LAU, diss. jur. *de re pecuniaria Imp. Rom.*, p. 91. (3) L. 1. § 11. D. *de aqua et aq. pluv.* (4) L. 8. § 22. D. *de transact.*

summe philosophum est, ita naturali jure et aequitate nititur: »nam hoc natura aequum est, neminem cum alterius damno fieri locupletiorem" (1). Summa igitur cura, interdum inquirere debuerunt ipsas operarum aliusve laboris mercedes, ut concerneretur, utrum majores solverentur nec ne; »non enim amplius praestari locatori oporteat, quam quod sua cura atque opera consecutus esset" (2); »si quis negotia mea gessit, non mei contemplatione, sed sui lucri causa, LABEO scripsit, suum eum potius quam meum negotium gessisse; qui enim depraedandi causa accedit, suo lucro, non meo commodo studet" (3). - Ipsius igitur productionis studium valde excitabatur, ita quoque, quod hujus producentis causa multo melior habebatur, quam ejus qui ex causa lucrativa quae dicitur (4), aliquid accepit; hic enim nil facit quo augeat facultates suas, sed eas ab altero, per hereditatem v. g., ad se transfert; producens vero, v. c. mercator, augendo rerum valorem eas reddit pretiosiores, se ipse ditiorem, nationis sortem auget: hinc »melius est, legatarium non lucrari quam emtorem damno affici" (5). Accuratissime igitur animadvertendum est, ne ii homines quorum res valde delapsae sunt, periculo alterius bonorum, sibi quaerant lucrum: nam uti »nemo.. praedo est, qui pretium numeravit" (6), sic contra quoque »qui non habet quod perdat, ejus periculi nihil est" (7).

---

(1) L. 14. D. *de condict. indeb.* Add. l. 17. § 4. D. *de institor. act.* (2) L. 36. D. *loc. cond.* (3) L. 6. § 3. D. *de neg. gest.* (4) Quid sit, vide in l. un. C. *de impon. lucrat. descript.* (5) L. 14. § 1. D. *de religios.* (6) L. 13. § 8. D. *de hered. pet.* (7) L. 16. pr. D. *de furt.*

Ut talia caverentur, notabatur v. g., si quis foro cedere coactus erat, quia non amplius erat solvendo, ita ut cunctis innotesceret: » de quo palam proscriptum fuerit, ne cum eo contrahatur, is praepositi loco non habetur: *proscribere palam*, claris literis, unde de plano recte legi possit, ante tabernam scilicet, vel ante eum locum in quo negociatio exercetur; non in loco remoto, sed in evidenti" (1). Non minori odio erat, qui fingebat tantum, res suas esse delapsas, ut ita fraudaret alios, eosque minori bonorùm parte contentos esse cogeret, sed qui revera bona sua occultaverat: » si quis dolo fecerit, ut bona ejus venirent; in solidum tenetur" (2). Huc refer eos, qui pretia tanta exigebant, ut prima facie iniqua cunctis viderentur (3): hac ín re omnibus antecellebant venalitiarii (4), sive mangones (5), qui servos quo possent pretio, sine rubore fraudulenter quam maxime vendebant: quare cum de iis diceretur: » id genus hominum ad lucrum vel turpiter faciendum pronius est" (6), accurate in eorum agendi rationem inspectum est.

Tale lucrum damno alterius paratum facile quoqne existit ex collegiis et corporibus (7) hominum uni industriae generi deditorum; qui merces resve fabricatas dum soli et pari inter se pretio vendunt, majus interdum quam decet lucrum sibi possunt acquirere. Neque igitur omnibus Romae indistincte talia collegia instituere licitum fuit: » neque societas, neque collegium, neque hujusmodi corpus passim omnibus habere conceditur:.. *éa res coërcetur:..* concessa

(1) L. 11. § 2, 3. D. *de instit. act.* Add. l. 47. pr. D. *de pecul.* (2) L. 51. pr. D. *de re jud.* (3) L. 31. § 4. D. *de fideic. libert.* (4) De venalitiariis cf. BURMANN. l. l. p. 72. (5) L. 207. D. *de verb. sign.* (6) L. 44. § 1. D. *de Aedil. ed.* (7) *Maîtrises, gilden.*

sunt.. vectigalium publicorum sociis,.. aurifodinarum vel argentifodinarum et salinarum. Item collegia Romae certa sunt, quorum corpus.. confirmatum est: veluti pistorum, et quorumdam aliorum et naviculariorum, qui in provinciis sunt" (1); quibus alia adde nonnulla in Codice memorata: jam quaedam Romanorum de his principia summo ore attingere lubet.

Universe, ut vidimus et ut sanae Oeconomiae rationi congruum est (2), Romanis collegia erant prohibita; nec nisi in singulis quibusdam causis admissa: sic v. g. si sorte majori opus esset, quam ut privati singuli rei alicui sufficerent, collegium quoddam et inter collegas societas efficiebatur, ut v. g. vectigalium conducendorum (3), metallifodinarum (4), et salinarum (5); vel si res ea erat, ut totius Reip. magni interesset, ne tale negotium minueretur, aut in deterius rueret, ut pistorum (6), et naviculariorum (7), qui annonae, ligno, ceterisque publicis necessitatibus inserviebant, et argentariorum (8); vel tandem iis qui publicis civitatis sumptibus operarentur, de quibus dein sermo erit. Omnia illa corporatorum genera subjecta erant Praefecto urbi (9); privilegia quaedam iis concessa fuerunt (10); numerus in singulis erat restrictus (11); nec nisi probatis in arte facultatibus, in illud corpus admittebantur (12).

Ceterum omne omnino monopolium, tam in his colle-

---

(1) L. 1. pr. D. *quod cujusq. univ.* (2) SAY T. 1. p. 264, sqq., 283, sqq. (3) l. 1. 1. pr. (4) Ibid. (5) L. 3. C. *pro soc.* (6) Tit. C. *de pistor.* (7) L. 3. cett. C. *de navicular.* (8) Nov. 136, praef., Edict. 7. C. 2, Edict. 9. (9) L. 4. C. *de off. Praef. urb.* (10) L. 46. D. *de excus.*, l. 2, 3. C. *de privil. corpor.* (11) L. 5. C. *de commerc. et mercim.* (12) L. 16. C. *de murileg.*, l. 4. C. *de fabricens.*

giis, quam inter ceteros idem industriae genus exercentes, quam maxime arcebatur: » Jubemus" inquit ZENO Imp. (1): » ne quis cujuscunque vestis vel piscis vel pectinum forte aut echini, vel cujuslibet alterius ad victum vel ad quemcunque usum pertinentis speciei vel cujuslibet materiae, pro sua authoritate, vel sacro jam elicito aut in posterum eliciendo rescripto,.. monopolium audeat exercere: neve quis illicitis habitis conventionibus conjuret aut paciscatur, ut species diversorum corporum negociationis, non minoris quam inter se statuerint, venundentur:... aedificiorum... artifices vel ergolabi, aliorumque diversorum operum professores, et balneatores penitus arceantur pacta inter se componere: ut ne quis quod alteri commissum sit, opus impleat, aut injunctam alteri solicitudinem alter intercipiat; data licentia unicuique ab altero inchoatum et derelictum opus per alterum, sine aliquo timore dispendii implere, omniaque hujusmodi facinora denunciandi sine ulla formidine et sine judiciariis sumptibus." Et ipse JUSTINIANUS magis etiam id extendit (2): » Cognovimus" inquit » quomodo... qui negotiationes et ludos literarios exercent, diversi etiam generis artifices, et agricolae, insuper et nautae,... lucri cupiditati se dediderint, et duplicia tripliciaque ac mercedes praeter veterem consuetudinem requirant: visum igitur est,... interdicere detestandam istiusmodi avaritiam, et ne quis in posterum cujuscunque etiam negociationis negociator, qualiscunque demum agriculturae agricola, quam vetus consuetudo ferat, plus pretii mercedisque nomine exigat: jubemus vero etiam ut aedificiorum et colendae terrae,

(1) L. un. C. *de monopol.* cet., et arceantur omnes omnino cujuscunque mercis dardanarii, l. 6. pr. D. *de extraord. crim.* (2) Nov. 122. praef., C. 1.

aliorumque onerum mensores nihil amplius operariis imputent, et illis antiquam consuetudinem conservent," cet.

Idem principium, quod in quibusdam suadebat, talia sinere collegia et societates, quod scil. magna pecuniae sorte opus erat ad excolendum id industriae genus, in diversis causis diversum debuit operari effectum: si enim tale industriae genus esset, ut sunt longe plurimae, quae majori pecuniae sorte plane non egent, sed ea adhibita, potius rem in paucorum manus reduceret, et monopolium constitueret, pauperiores a tali industria arcendo, praestat ipsos ditiores a tali mercimonio excludere: »nec enim pauperibus industria vel augmentum patrimonii quod laboribus et multis casibus quaeritur, interdicendum est"(1). Hinc Imperator: » nobiliores" inquit »natalibus et honorum luce conspicuos et patrimonio ditiores, perniciosum urbibus mercimonium exercere prohibemus, ut inter plebeos et negociatores facilius sit emendi vendendique commercium" (2). Etenim non pecunia tantum sed imprimis quoque gratia horum nobilium efficeret, ut ceteri deprimerentur; quos tenuiores idem industriae genus exercendo offendere vererentur: ob eandem rationem »si cujuscunque modi actiones ad potentiorum fuerint delatae personas, debiti creditores jactura multentur. Aperta enim credentium videtur esse voracitas, qui alios actionum redimunt exactores" (3); et expresse Imperatorum sapientia fuit prohibitum, ne Principem litis participem facerent, in fraudem creditorum qui contra tam potentem adversarium agere non auderent (4). A mercimoniis autem prae-

---

(1) L. 10. C. *arbitr. tut.* Add. l. 6. § 4. D. *de off. Praes.* (2) L. 3. C. *de commerc. et mercim.* Add. impr. l. 33. D. *de reb. cred.* (3) L. 2. C. *ne liceat potent.* (4) L. 2, l. 4. C. *ne fisc. vel resp.* cet., § 8. Inst. *quib. mod. test. inf.*

ter potentes ob alias causas alios arcendos esse putarunt: religionis causa, haeretici (1): - ab *honesta* vero mercatura clerici non repelluntur (2): - mulier quae publice mercimonio praeërat, inter humiles et abjectas personas habebatur (3). Sed haec pertinent ad ejus temporis morum conditionem; majoris momenti est, quod de militibus cavetur: »milites nostros alienarum rerum conductores seu procuratores aut fidejussores vel mandatores conductorum fieri prohibemus; ne omisso armorum usu, ad opus rurestre se conferant, et vicinis graves praesumtione cinguli militaris existant" (4). Arceantur igitur, ne incommodo sint et noxii ceteris producentibus; sed propterea quoque, quia Resp. illorum usum sibi tantum requirit: »milites qui a Rep. armantur et aluntur, solis debent utilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui et custodiae animalium vel mercimoniorum quaestui, sed propriae muniis insudare militiae" (5): contra »veteranis liceat emere et vendere, optimis negotiis pecuniam tractare, et mercimonia agitare" (6).

Inhaesit igitur Romanis ea veritas: impediri productionem, si a locupletioribus obrueretur; impediri quoque, si a collegiis, qui inter se de certo, majori, pretio convenirent, occuparetur; omniaque monopolia damno esse privatorum, qui rebus illis indigerent: - et tamen, contra omnem, ut videretur, prudentem administrationem, quarumdam rerum fabricationem et mercimonium sibi tantum vindicavit Summus Imperans. At, in his solam quam putabant,

---

(1) L. 10. C. *de haeretic.* (2) L. 2. pr. C. *de episc. et cler.* (3) L. 7. C. *de incest.*, l. 1. C. *de natur. liber.* (4) L. 31. C. *de locat. cond.* Add. l. 35. eod. (5) L. 15. C. *de re milit.* (6) L. 1. C. *de veteran.*

Reip. utilitatem et salutem totius nationis, non vero turpis lucri damnosam cupidinem tali monopolio vel praecipuae Summi Imperantis curae ansam dedisse, probare studebo.

Primum, ut fere omnes Summi Imperantes, sic Rom. quoque Imperatores putarunt, quasdam esse res adeo necessarias, quae et sufficienti numero, et certa, pari, qualitate, in Rep. adessent, ut imprudens foret, earum rerum fabricationem vel advecturam aliis, privatis, relinquere: eaque sententia multis Oeconomis fuit probata (1). Huc refer frumentum, quo multo egebant Romani, et omnes ad alimenta privatim sibi servisque paranda, et publice in militum et pauperum utilitatem: hinc magna et specialis ejus fuit cura, ut testantur Aediles cereales (2), lex Julia de annona (3), Curator annonae (4), qui etiam Praefectus annonae (5) dicitur, Curator frumentarius (6), cura in hanc rem Praefecti urbi (7), „curatores pistrinorum," „προεστῶτες τῶν ἀρτοποιῶν ἐργαστηρίων." (8); et multae circa annonam prohibitiones, quae insigne ejus studium notant (9): praeterea ad hanc monopolii causam civitatis, arma ceteraeque bellicae necessitates pertinent,

---

(1) Cf. SAY T. I. p. 319. (2) L. 2. § 32. D. *de orig. jur.*, l. 17. D. *de compens.* (3) L. 1. D. *de public. judic.*, l. 37. D. *de poen.* (4) L. 21. § 2. D. *de appellat.*, l. 21. D. *ad municipal.*, l. 1. § 2, l. 18. § 5. D. *de munerib.* (5) L. 1. C. *de off. Praef. urb.*, tit. C. *de Praef. ann.*, ibique CUJAC. (6) L. 17. C. *de episc. audient.* Add. BURMANN. l. l. p. 118, sq. qui hos tamen locos omisit. (7) L. 1. C. *de off. Praef. urb.*, l. 4. C. *de contrah. et comm. stip.* (8) Nov. 80, et GOTH. ad l. 5. § 1. C. *de feriis.* (9) Cf. v. g. l. 20. D. *de compens.*, l. 1. § 21, 22. D. *depos.*, l. 6. pr., § 2. C. *de extraord. crimin.*, l. 7. pr. C. *de appellat. recip.*, l. 1. C. *quib. mun. excus.*, l. 12. C. *de excus. mun.*, l. 5. § 1. C. *de feriis.*

quae collegio fabricensium fuerunt ab Imperatoribus mandatae (1); summaque prudentia non pecunia unde materiam emerent, sed ipsum quod elaborandum esset ferrum ipsis tradebatur (2).

Secundo, nonnullarum mercium monopolium habebat Summus Imperans Rom., quia comparandarum earum difficillima erat ratio; etenim si non nisi barbari ea possent adducere, vel a barbaris possent emi, imprudens foret, unicuique potestatem dare cum hostibus patriae agendi, ut merces acciperet; igitur non nisi uni hoc concessum est Comiti Commerciorum, qui summa diligentia et publicae utilitati et mercimoniis faciendis invigilaret (3). Ceterum, hae erant merces, luxus tantum causa paratae; igitur eo facilius ceteros arcere poterant Imperatores et ab emendo et a portando talia vestimenta, quae non nisi summo civitatis periculo acquiri possent: hinc igitur »auratas ac sericas paragaudas, auro intextas, viriles, privatis usibus contexere conficereque" prohibitum fuit; neque lanam, vel vestimenta linea tingere muricis colore licebat privatis: purpuram nemo habeat; nec universe vestes, quales Imperator (4): nec frenis et equestribus sellis gemmas aptare permissum erat (5). Ipsi autem hi negociatores, Imperatoris domo addicti, summa afficiebantur dignitate et honore (6).

---

(1) L. 1. C. *de fabricens.*, l. 5. C. *de hered. decur.*, *navic.*, l. 32. C. *de decur. et fil.*, Nov. 85. C. 1, 4. (2) L. 1. C. *de fabricens.* (3) L. 2. C. *quae res venire* cet. (4) L. 1, 3, 4, 5. C. *de vest. holob.*, l. 9. C. *de murileg.*, l. 1. C. *quae res venire* cet. (5) L. un. C. *nulli licere in frenis* cet. (6) L. 7. C. *de excus. mun.*

CAPUT OCTAVUM.

DE PUBLICIS REDITIBUS ET EXPENSIS.

In omni civitate faciendae sunt impensae administrationis, rei militaris, justitiae, cet.: pecunia in has procuratur ex **reditibus** civitatis; quae consistunt: 1°. in possessionibus publicis, sed imprimis - 2°. in **tributis** et 3°. in **vectigalibus**. Sic etiam Romae, ubi colligenda erant sine magnis sumptibus, et absque civium vexatione. Tributa omnes solvebant: vectigalia ubique paria, accuratissime et aequissime circumscripta: noxia abrogantur. **Expensae** fiebant ita, ut aliqua utilitas vel reditus insuper exstaret; onus vero incolarum esset quam minimum: - proba gubernatio provinciarum: - usus servorum publicorum: - cura pauperum. - Conclusio operis.

Non morabitur nos hoc loco plena descriptio variorum in civitate Romana diversis temporibus tributorum, annonarum et vectigalium; neque quaestiones saepius propositae, quaenam inter haec fuerit differentia; et utrum fiscus an vero aerarium (1) haec illave acceperit; neque etiam enarrabimus, qui suis his reditibus singulis usi sint,

(1) Nov. 22. C. 22. *aerarium* ponitur pro *fisco*.

et in quantum suffecerint; - non enim hujus loci sunt ea (1); at mei laboris fines longe egrediuntur. Nostrum tantum est, intueri ipsa principia Romanorum quae in acquirenda civitati pecunia, in illa coägenda et eroganda secuti sunt, ut pateat permulta iis inesse quae sanae Oeconomiae menti quam maxime conveniunt, et dignissima sunt ut cum recentioribns hac de re institutis conferantur; multa quoque tam a JCtis quam ab Imperatoribus esse prolata, quae eorum scientiam hac in re Inculentissime testantur.

In omni civitate impensae faciendae snnt, quibus prospiciatur in curam atque administrationem civitatis ipsius, opernm publicorum constructionem, tutelam civitatis, jurisdictionem et alia multa: quae ut sunt maxime necessaria, et efficiunt illud vinculum civile unde in societatem hominum collectio oritur, ita sumptus requirunt insignes, quibus uni alterique eorum subveniatur (2).

Illi sumptus partim fieri possunt ex bonis publicis, civitatis propriis, quorum reditus locantur vel administrantur (3); et in collectione Juris Rom. saepius legimus de colono publicorum praediorum (4), de administratione bonornm Reip. (5), de reditibus civilibns (6),

---

(1) De quibus omnibus conf. praeter BURMANNUM, *de vectig. pop. Rom.*, HEINECCIUM, *de l. Papia Poppaea*, et PANCIROLLUM, *comm. ad notit. Imp. Occid.*, - Diss. Jurid. Conss. F. VAN HEUKELOM, *de aerario Rom.* et J. G. LA LAU, *de re pecuniaria Imp. Rom.:* novissime autem hoc argumentum exposuit Cl. SAVIGNY, In Comment. Histor. Acad. Reg. Doctr. Berolin. a. 1836. (2) SAY T. III. p. 6, sqq., 82, sqq. (3) SAY T. III. p. 130. (4) V. c. l. 53. D. *loc. cond.*, l. 8. C. *de excus.*, l. 11. C. *de oper. publ.* Add. BURMANN. p. 47. (5) V. c. l. 11. pr. D. *de pignor.*, l. 41. D. *de excus.*, l. 2. C. *de admin. rer. publ.* (6) L. un. C. *de ratioc. op. publ.*

cet.: Sed facile intelligitur, ex his non nisi pro minutissima parte omnibus publicis necessitatibus posse provideri, quibus tamen subvenire erat necesse. Hinc ortum, ut a singulis civibus posceretur pecunia, quae huic rei inserviret; quae vel in capita conquirebatur, vel de possessionibus singulorum detrahebatur: illud, quia a singulis *tribuebatur*, dictum est *tributum*, et censum accuratum necessitavit: alterum *vectigal* dictum est, quia mercibus *invehundis* (1) primum est impositum; ne autem mercatoris plura quam agricolae et ceterorum onera essent, agris et pecori simul et metallifodinis est adnexum. Cum igitur pateat, sine talibus publicis functionibus civitatis impensis non posse prospici, recte sane de tributis loquens ULPIANUS exclamavit, » in quibus esse Reip. nervos nemini dubium est" (2); quem secutus est Imperator JUSTINIANUS (3): » impossibile enim est, ut sacris tributis non illatis, alioqui Resp. conservetur."

Ut autem decet cives, pro sua divitiarum quemque parte, civitati tribuere (4), sic civitas bene teneat, tum demum cives optime posse solvere, cum plurimum habeant divitiarum, et diligenter possint industriam excolere: » ut tamen fundos recte colant, quo magis et uberior exinde proventus ad praediorum dominos deferatur, et *per ipsos* ad fiscum" (5). Sed, ne tales pensiones effugiant, iisve clam se subtrahant; etenim non tantum fiscus, sed ipsa quoque urbs, in qua hoc fit, pauperior redditur tali fraude; quoniam tunc, non sufficiente illo tributo vel

---

(1) BURMANN. p. 3, 52, GOTH. ad l. un. C. *de Alex. primat.* (2) L. 1. § 20. D. *de quaest.* (3) Nov. 149. C. 2, a.p. C. 544. (4) Nov. 161. C. 2. init. Add. l. 2. C. *de alluv. et palud.*: » hi quos inundatio Nili fluminis reddit ditiores, pro terris, quas possident, tributorum praestationem agnoscant." (5) Nov. 144. C. 2.

vectigali, novum alterum requiritur (1); inducantur igitur ad solvendum coactione militari (2), tacita hypotheca ob tributa (3), vendito ob vectigal praedio (minori saepius pretio (4), ut facile intelligitur) (5); modo nullam justam afferre possit collator dilationis causam (6).

Huc quoque pertinet id SEVERI Imp. rescriptum (7): »non quidem temere permittenda est novorum vectigalium exactio; sed si adeo tenuis est patria tua, ut extraordinario auxilio juvari debeat, allega Praesidi provinciae quae in libellum contulisti; qui re diligenter inspecta, utilitatem communem intuitus scribet nobis quae comperit; et an habenda sit ratio vestri, et quatenus, existimabimus." Uti enim agnoscitur ibi, providendum esse veris necessitatibus, ita diligenter inspici jubetur, num alia ratione iis possit suppleri, et utrum revera necessarium sit: nam illud quoque animadvertendum est, ne plus petatur a singulis quam opus est civitati: »hoc pacto impendiis ordinandis, ut adscriptio currat pro viribus singulorum: deinde adscribantur pro aestimatione operis futuri territoria civium: ne plus poscatur aliquid, quam necessitas imperaverit, neque minus, ne instans impediatur effectus" (8); et saepius accidit, ut diminuendo rerum administrationis et ipsorum tributorum colligendorum impensas, melius etiam rem explices et sumptus effugias potius quam pluribus egeas. Hinc regula Romanae prudentiae

(1) Edict. 13. C. 15. (2) L. 2. C. *de exact. trib.* (3) L. 1. C. *in quib. caus. pign.* (4) L. 3. C. *de jure fisc.*, l. 2. C. *de fide et jur. hast.*, l. 1, l. 3. C. *si advers. fisc.*, l. 1. C. *si advers. vend. pign.* (5) L. 9. D. *de rescind. vend.*, l. 52. pr. D. *de act. emt.*, l. 46. § 1. D. *de damn. infect.* (6) L. 1. C. *de praescr. trig. ann.* (7) L. 1. C. *vectigal. nov. inst. n. p.* (8) L. 12. C. *de oper. publ.*

fuit, tributa cum minimis expensis esse colligenda (1). Idem illud principium, administrationis impensas (quae numquam vili constant civitati) effugiendi, videtur in causis fuisse, cur vectigalia locarent (2) potius Romani, quam per ministros ipsi cogerent. Hinc Equitum ortae divitiae, et vexationes plurimae provincialium, per illorum ministros.

Haec tamen ratio vectigalia recipiendi, crebra quoque habet incommoda. Sic, quum ab una parte, quamvis magna pecuniae summa conducere nolentes, calore tamen licitationis interdum correpti ultra solitae conductionis modum (3), nimis solverant, sequenti lustro non satis volebant pendere; - ab altera parte, quum locatio non bene procedebat, publice cogebant publicanos, qui priori lustro conduxerant, vectigalia retinere: hinc factum est, ut exigua omnes pecuniae summa conducere studerent, de qua certi erant, ut, etiamsi peracto lustro, vectigalia retinere cogerentur, id sine damno ipsis procederet; - atque adeo multo minus redderent vectigalia, quam si bene administrata fuissent ab ipsis magistratibus. Hoc fatetur ipse Imp. HADRIANUS (4): »valde inhumanus" inquit »mos est iste, quo retinentur conductores vectigalium publicorum et agrorum, si tantidem locari non possint: nam et facilius invenientur conductores, si scierint fore, ut si peracto lustro discedere voluerint, non teneantur:" ab eoque tempore illud mutatum est, »quia ad conducendum vectigal nemo invitus compellitur, et ideo, impleto tempore conductionis, elocanda sunt" (5).

(1) Argum. l. 9. C. *de annon.* (2) De qua locatione s. emtione vectigalium saepius sermo est. Cf. v. c. l. 4. C. *de vectig.*, l. 2. C. *quibus mun. excus.* (3) L. 9. D. *de publican.* (4) L. 3. § 6. D. *de jure fisci.* (5) L. 9. § 1. D. *de publican.* Add. l. 4. C. *de vectigal.*

Alterum incommodum, idque semper summopere cavendum, erat quod, ut sibi lucrum majus oriretur, ipsi publicani, nova exercendo vectigalia quae revera imposita non erant (1), eorumque ministri, vexando collatores, efficiebant ut degluberentur cives et acres orirentur seditiones.

Multae quidem igitur leges latae sunt, ne sub specie tributorum, illicitae fierent exactiones (2); reprehensa est exactorum crescens avaritia (3); in publicanorum audaciam animadversum est (4); imo Praetor in edicto contra horum fraudes et furta cavit (5); et dein rescripsit CONSTANTINUS (6): »si provincialium nostrorum querela de conductorum aviditate exstiterit, et probatum fuerit ultra antiquam consuetudinem et nostrae terminos jussionis aliquid eos profligasse," hos severe esse puniendos: - melius autem sine dubio fuisset, occasionem fraudandi iis eripere. Posteriori autem tempore Comiti S. Largitionum cura vectigalium imposita est (7); et Proconsul »publica quoque tributa vigilanter et cum justitia exiget, nihil in illis curae praetermittens, neque concedens, ut aut *fiscus*, aut *privati* in aliquo circa res suas damnum sentiant" (8). Etenim, e contrario, Reip. quoque interest, vectigalia et tributa eorumque exactores contra nimiam plebis iracundiam et crudelitatem defendi: hinc interdictum fuit ad tuenda publica vectigalia (9); et provisum est, ne ipsi

---

(1) L. 12. D. *ad l. Jul. de vi publ.* (2) L. 6. § 3. D. *de off. Praes.*, l. 8. C. *de furt. et serv. corr.* (3) L. l. 6. § 9. Cf. Nov. 128. (4) L. 12. D. *de publican.* (5) L. 1. pr. eod. (6) L. 4. C. *vectigal. nov. inst. n. p.* (7) L. 6, l. 8. C. *de vectigal.* BURMANN. p. 115. (8) Nov. 30. C. 7. § 1. (9) L. 1. D. *de loco publ. fruend.*

quoque tributorum exactores laederentur (1); quorum numerus tamen, quantum posset, fuit restrictus (2).

Jam videamus de quibusdam principiis quae in singulis tributis et vectigalibus secuti sunt Romani.

Quod ad tributa, sive publicas functiones, indictiones, sive canones (3), putarunt: »quod in multitudinem dividitur, onus insensibile propemodum facit eis qui hoc sustinent" (4); igitur, excepta plebe urbana (5), unusquisque eas solvebat (6); diversis vero temporibus, ut fas est, variae fuerunt (7). Si debita civitatem valde urgebant, extraordinaria tributa fuerunt imposita, quae superindicta vocabantur (8).

Vectigalia mercibus imposita ubique erant paria: »vectigalium non parva functio est, quae debet ab omnibus qui negociationis seu transferendarum mercium habent curam, aequa ratione dependi" (9): debebant mercatores omnes merces profiteri, etiam immunes a vectigali, ne fraus fieret (10); si omitteretur professio, res cadebant in commissum (11). Ea quae ex agris solvebantur exactissime erant circumscripta et simul magna cum aequitate: »forma censuali cavetur, ut agri sic in censum referantur: nomen fundi cujusque, et in qua civitate, et quo pago sit, et quos duos vicinos proximos habeat, et id arvum quod in decem annos proximos satum erit, quot jugerum sit; vinea, quot vites habeat; oliva, quot jugerum, et quot arbores habeat; pratum, quod intra decem annos proximos sectum erit, quot jugerum; pascua, quot juge-

(1) Nov. 128. (2) L. 26. § 1. C. *de episc. aud.* (3) L. 6. C. *de praescr. trig. ann.* (4) Nov. 38, praef. (5) L. un. C. *de capitat. civ.* (6) L. 5. C. *de annon.* (7) L. 10. C. *de agricol.* (8) L. 1. C. *de indiction.* (9) L. 6. C. *de vectigal.* (10) L. 16. § 3. D. *de publican.* (11) l. l. 16. § 5.

rum esse videantur; item sylvae caeduae.... Illam aequitatem debet admittere censitor, ut officio ejus congruat, relevari eum, qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex causis non possit;" cet. (1). Praeterea »omne territorium censeatur, quotiens defectorum levamen exposcitur; ut sterilia atque erema his quae culta vel opima sunt, compensentur" (2). Prudentissime cautum, circa pauperes agricolas, quorum nequeunt instrumenta aratoria, pignoris causa abstrahi, ne ex illo tributorum illatio retardaretur (3). Ceterum non licet praedium ea conditione emere, ut venditor semper dein solvat vectigal; hoc enim inhaeret praedio (4). Annonas autem licebat in ipsis speciebus solvere (5).

Ecce quaedam principia sumta ex permultis quae referri potuissent: et nonnulla tantum nominavi vectigalium genera; plurima enim recensentur: v. c. »portus, vel venalium rerum, item salinarum et metallorum et picariarum" (6), »vel solarium, vel cloacarium, vel pro aquae forma" (7). Et praeter haec multis aliis rationibus aliquis civitatis debitor esse poterat: »in ea, quae Reip. tę debere fateris, compensari ea quae invicem ab eadem tibi debentur, is cujus de ea re notio est, jubebit: si

---

(1) L. 4. pr., § 1. D. *de censib.* (2) L. 4. C. *de censib.* (3) L. 7. C. *quae res pign.* (4) L. 2. C. *sine censu vel reliq.* cet., l. 1. C. Th. eod., l. 2. C. Th. *de contr. emt.* Add. l. 2. § 16. D. *de hered. v. act. vend.* – Illudque tam stricte observabatur, ut in quibusdam civitatibus a domino tantum, non vero a conductore, onera et contributiones poscerentur: ut apud nos, onera realia (*verponding*). Cf. l. 32. § 6. D. *de adm. et per. tutt.* (5) Nov. 128. C. 8, 147. C. 1, 148. C. 2. Add. GOTH. ad l. 1. C. *de annon.* (6) L. 17. § 1. D. *de verb. sign.* Cf. l. 16. § 7. D. *de publican.*, l. 2. § 17. D. *ne quid in loco publ.*, l. 3. C. *de metallar.* (7) L. 39. § 5. D. *de leg. I.* Add. l. 41. § 7. eod.

neque ex kalendario, neque ex vectigalibus, neque ex frumenti, vel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque ejus qui statutis sumptibus servit, neque fideicommissi civitatis debitor sis" (1); – et igitur etiam interversor sive decoctor pecuniae publicae, si non solvebant (2).

Cum autem Fisci proprium est ut, contra reliquorum hominum morem, reditus suos extendat secundum expensarum faciendarum summam (3); hinc sequi debet, fiscum semper esse solvendo (4): » soli... aurum spargere damus imperio, cui soli etiam aurum contemnere praestat fortunae fastigium" (5), ut superbe inquit JUSTINIANUS, hic suas ipsius spectans facultates: notum autem est, plurimas redituum publicorum partes ab Imperatoribus Rom. in privatum Principis fiscum esse collatas, eumque igitur optime de his, publicis negotiis tali damno exhaustis potuisse subvenire; ut de se testatur JUSTINIANUS (6): » nam publicum debitis praegravatum invenientes, et ad ultimam penuriam repulsum, in nosmet ipsos suscepimus debitum, onere simul et difficultate multa sublevantes illud." – Si autem aliqua tributi vel vectigalis species erat, quae subjectis nimis noceret, eam abrogabant, ut in vicesima hereditatum (7) factum est; et in caducorum quoque tollendo privilegio (8): » Tantum enim nobis superest clementiae; quod scientes, etiam fiscum nostrum ultimum ad caducorum vindicationem vocari, tamen nec illi pe-

---

(1) L. 3. C. *de compens.* (2) L. 8. C. *de jure fisci.* (3) SAV T. III. p. 73. not. coll. cum p. 39. Hinc in l. 12. C. *de oper. publ.* dicitur: » adscribantur pro aestimatione operis futuri territoria civium." (4) L. 2. D. *de fund. dot.* (5) Nov. 105. C. 2. § 1. (6) Nov. 148. praef. (7) L. 3. C. *de edict. D. HADR. toll.* (8) L. un. § 14. C. *de caduc. toll.*

percimus, nec augustum privilegium exercemus; sed *quod communiter omnibus prodest, hoc privatae nostrae utilitati praeferendum esse censemus, nostrum esse proprium subjectorum commodum imperialiter existimantes*."

Verbo jam videamus, quamnam rationem iniverint Romani in utendo iis quae a civibus per tributa, per vectigalia, cet. acceperint. Universe idem videntur tenuisse principium quod etiam hodie fixum est (1), ut scil. ea quae conferuntur publice, tributis et vectigalibus per totam civitatem imperatis, in aerarium publicum conjicerentur: quae vero in singulis civitatibus speciatim, ibi imprimis ad sumptus faciendos relinquerentur (2). Sed praeterea ea quae aerario publico debebantur, saepius, si hoc convenientius ducebatur, partim ibi manebant ubi colligebantur, ut in domesticos ejus urbis sumptus adhiberentur: »mulctarum severa compendia aerario nostro protinus esse quaerenda, nullus ignoret: nisi ipse judex id quod ad poenam admissi facinoris exsculpitur, vel publicis operibus, vel cursui publico, vel aliis necessariis causis specialiter deputaverit" (3); et constat, aquaeductus impensas Constantinopolitani solutas esse ex tributo quod a nautis quibusdam ibi debebatur (4).

Verbo jam vidimus, quo inservire debuerint illi reditus; operae tamen pretium est, JUSTINIANI locum hîc apponere, ordine cuncte enumerantis (5): »Hoc unum," inquit, »nobis studio est, ut provinciae bonis legibus

---

(1) SAY T. III. p. 129. (2) Argum. l. 1. C. *vectig. nov. inst. n. p.* Add. l. un. *de expens. lud. publ.* (3) L. 5. C. *de modo mulct.* (4) L. 7. C. *de aquaeduct.* (5) Nov. 149. C. 2. Cf. Nov. 148. praef., et imprimis Nov. 161. C. 2. quae TIBERII est.

regantur, tutoque habitentur, atque Praesidum justitia fruantur; - et vero publica tributa extra querelam inferantur... Militares namque copiae, assignato sibi salario inde percepto, hostibus resistunt, collatores a barbarorum incursionibus et truculentia vindicant; denique agros atque civitates a latronum alioque modo incompositam vitam sectantium vi et irruptionibus, agendis excubiis defendunt: ex illis [tributis] etiam reliquae cohortes ea quae ipsis adtributa sunt, accipiunt: muri atque civitates indidem instaurantur: publicarum balnearum hinc calefactiones procedunt: postremo, spectacula aliaque omnia quae ad delectationem subditorum inventa sunt, ex iisdem curantur; ut quae ab illis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos, insumantur et impendantur."

In omnibus autem illis expensis id principium servaverunt, ita eas esse faciendas, ut inde quam maxima simul utilitas redundaret: v. c. cura mortuorum sepeliundorum erat Oeconomis et defensoribus civitatum mandata; atque praedia ei muneri adaptata ita erant instructa, ut simul inde reditus pecuniae aliquis perciperetur (1); - imprimis autem, ut incolarum onus, quantum posset, minueretur: sic »observare Proconsulem oportebit, ne in hospitiis praebendis oneret provinciam" (2): »si qua coepta sunt [aedificia], ut consummentur, prout vires ejus Reip. permittunt" (3), curet idem. Praesertim observabatur id in militaribus sumptibus: »milites de locis in quibus consistunt, ad alia loca sine speciali nostrae serenitatis auctoritate nullatenus transferri praecipimus: ne eorum expensae in locis in quibus consistunt, minuantur" (4). Curandum quoque erat,

---

(1) Nov. 59. praef., C. 2. (2) L. 4. pr. D. *de off. Proc. et Leg.*
(3) L. 7. § 1. eod. (4) L. 4. C. *de off. Mag. mil.*

ut milites absque onere collatorum sive tributariorum per civitates et provincias iter perficerent (1): ipsi autem milites, si in rebus bellicis occupati non erant, adhiberi poterant ad publicas constructiones (2); licebit » ministeria quoque militaria, si opus fuerit, ad curatores adjuvandos dare" (3); » nemo Proconsulum stratores suos habere potest; sed vice eorum milites ministerio in provinciis fungantur" (4).

Eodem consilio, ut et firmius esset imperium et minores expensae et vexationes, instituit JUSTINIANUS, uni viro summum tam militare quam civile imperium dare in provinciis (5): » cum omnibus perspicuum sit, quod militaris quidem res, si sola et per se consistat, ultra quam decet efferatur audacia; civilis vero nisi administrum habeat robur militum, infra mediocritatem auctoritate careat; utrumque vero, si in idem cum altero concurrat, omnium perfectissimum et absolutissimum sit, quodque tam ad gerendum bellum, quam ad tuendam pacem sufficiat" (6).

Pulcherrimum quoque gubernandi et administrandi consilium est datum Praefecto possessioni Tamiacae, quae erat res Principis patrimonialis: » circumspiciet, si quid a tamiaco solo detractum, et frustra ab aliis detentatum sit, sive in pascuis, sive in arvis, sive in locis vitibus consitis, sive in praediis, sive domibus; et vetus solum rebus suis vindicabit, nulla longi temporis praescriptione illi opponenda, neque enim fisco licet tale quid opponere; neque lucrum captans, ut maxime patrimonium suum

---

(1) Nov. 130. (2) Nov. 17. C. 4. § 2. (3) L. 7. § 1. D. *de off. Proc.* (4) L. 4. § 1. eod. (5) Nov. 24. C. 1, Nov. 25. C. 1, 4. (6) Nov. 26. C. 1. § 1.

exinde locupletet; nam depauperatio potius est, quam locupletatio, si quis sordidis utendo manibus arbitretur ex eo lucrum se facere, quod multifariam postmodum cum impietate et summo probro restituet" (1).

Unum erat, in quo Romanis publicarum rerum administratio minoribus constabat sumtibus, ac recentioris aevi civitatibus; quod scil. saepius loco officialium minorum, ut tabellariorum, actuariorum, cet. servos publicos adhibebant (2); quibus, si artifices vel fabricatores erant, utebantur in operibus publicis construendis (3): cum apud nos talibus vel pro opera honorarium, vel pro industria merces tribui debeat.

Laudanda quoque per se est insignis cura pauperum, quam ad suum officium Imperatores pertinere crediderunt: » humanitatis nostrae est, egenis prospicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint" (4). Melius certe fuisset, si ad operandum incitando, alimenta illa ipsis tribui curassent, quam panum civilium praestationibus (5), de quibus toties in Codice sermo est, eos ignaviae et socordiae assuefacere. At illi jam olim in civitate Rom. praebebantur; et non poterant ab Imperatoribus, neque Romae, neque Constantinopoli, non exhiberi, sine seditionis et sanguinis metu. Nota tamen etiam hic prudentem administrandi rationem, qua non ipsum frumentum, quod in alios quoque usus converti potuisset, tribuebatur, sed panes publice a pistoribus confecti (6). Cete-

---

(1) Nov. 30. C. 7. init. (2) Cf. l. 1. C. *ne quis liber invit.* cet. (3) L. 5, l. 8. C. *de serv. fugit.* (4) L. 12. § 2. C. *de SS. eccles.* Add. l. 27. pr. eod., l. 6. § 6. C. *de his qui ad eccles.* (5) De his cf. l. 31. § 2. C. *de jure dot.*, l. 3. C. *de quadrienn. praescr.*, l. 2. C. *de annon. civ.*, Nov. 7. C. 8. (6) L. 1. C. *de frum. urb. Const.*



rum in eos, qui corpore firmi, odio industriae, nolebant operari, severe cautum est: nam mendicantes validi propter ignaviam suam puniuntur et inventoribus addicuntur (1). Sed contra, a singulis respiciatur: » ne turpi colludio quaeratur ex miseris pretium gaudiorum" (2).

Jam absolutum est opus, quod minime perfectum haberi volo, et quod erroribus sane juvenilibus haud carebit; quibus ignoscant, precor, viri docti, quos id intueri lubeat. Meum tantum fuit propositum, ostendere sana Oeconomiae Politicae principia neque JCtis Romanis, neque quibusdam Imperatoribus ignota mansisse, ejusque scientiae vestigia in ipso Corpore Juris Civilis Romani luculentissime apparere.

(1) L. un. C. *de mendic. val.* (2) L. 1. C. *public. laetit.*

TANTUM.

ADDENDA.

Pag. 17. not. 3. *pro* 5 aureis. *lege* 5 aureis nummis.

» 78. Iis quae de credito pecuniae diximus add. SALMASII *diatribe de mutuo, qua probatur, non esse alienationem*, impr. p. 21. Ed. 1640.

Erroribus a typotheta, festinantius agente, commissis, ignoscat L. B.



THESES.

I.

Augustus jus respondendi, quod antea omnibus Jurisperitis patebat, psueis tantum maxime insignibus JCtis, quibus favere volebat, permisit; unde tamen non magis tenebantur judices servili plane ratione eorum sequi sententias. – Tiberius illud institutum servsvit. – Hadrianus voluit, eos, qui ita responderent, peritiae periculum facere: judices autem ita ex his sententiis teneri, ut illarum eonsensu obligarentur secundum eas judicare; dum, dissentientibus JCtis, suam enique opinionem sequi lieeret.

II.

In csusis lapsae Jprudentise post Alexandri Severi mortem, praecipnae sunt: dissensionum inter JCtorum scholas finis, crescena Principum in jure eonstituendo potentia, sedis Imperii mutatio, Theologiae stndium, Valentiniani eonstitutio de responsis prudentum.

III.

In l. 40. § 1. D. *de acq. v. am. poss.* non legendum est »*idem*" sed »*aliud* existimandum ait."

IV.

Ulpiani in l. 1. § 17 et Pauli in l. 5. D. *de separat.* sententia praestat Papiniani opinioni in l. 3. § 2. eod.

V.

Nulla est portio legitima liberorum naturalium, ex Cod. Nap.

VI.

Mandante et mandatario idem eodem tempore diversis personis vendentibus, hujus tantum actio valet.

VII.

In a. 92. § 1. Cod. Civ. Neerl. verba *in het laatste geval* explicanda sunt de utroque easu quo patris tantum consensu muniti sunt liberi.

VIII.

Verba postrema a^i^. 1410, ejnsd. sunt solemnia.

IX.

Ai. 89. Cod. Merc. Fr. is sensus est, ut in unumquemque argentarium et proxenetam seris alieni decoctorem (*faillite*) suspicio moveatur fraudis (*banqueroute frauduleuse*): quod si non fraudulentur egisse eomperistnr, tsmen ex a. 404. Cod. Poen. puniatur ad tempus (*travaux forcés à temps*).

X.

Inter conditiones fidejussionis, quas facere potest fidejussor cambialis (*donneur d'aval*), a. 142. Cod. Merc. Fr., a. 132. ejusd. Neerl., ea etiam est, ut pro parte tantum pecuniae debitae fidejubeat.

XI.

A. 66. Cod. Poen. pertinet tam ad delictorum quam ad criminum reos.

XII.

Ex diversis rationibus quibus ergastula ordinantur, ea maxime commendanda videtur, qua malefici omnino a se invicem disjuncti tenentur, ut hodie Philadelphiae fit in America Septentrionali.

XIII.

Matrimonia more, tacito populorum consensu, et naturali quadam necessitate, introducta sunt.

XIV.

Quamvis non requiratur jure gentium naturali belli solemnis indictio, tamen probanda est.

XV.

A. 222. leg. Fund. non restituta est collegiis quae *Heemraadschappen* dicuntur potestas judiciaria, adempta iis decreto 18 Oct. 1810.

XVI.

Ipsa LUDOVICI XIV, Fr. R. dominandi cupido, systemati de aequilibrio Europae politico confirmando magis inserviit.

XVII.

Extractio cespitis illa qua humus in aquam vertitur, non impedienda quidem, at non publice promovenda est.

XVIII.

Parce tribuenda sunt privilegia novi producti inventoribus (*brevets d'invention*), eorumque modus restringendus est.

XIX.

Ingenii cultus in tenuioribus quoque civibus summopere commendandus est.

XX.

Optanda foret in patria nostra societas vitas hominum assecurans (*maatsch. v. levensverzekering*), cujus non constitutio publice probata tantum, sed solutio quoque publica fide cauta esset.

AAN

MIJNEN VRIEND

J. W. TYDEMAN,

BIJ ZIJNE BEVORDERING

TOT

Doctor in de beide Regten.

Herdenk ik, brave vriend, mijn blijde jong'lingsjaren,
Dat vrolijk rozenperk van zorgelooze vreugd,
Te vaak eerst dan erkend wanneer 't is heengevaren,
En slechts herinnering het dankbaar hart verheugt:

Herroep ik voor mijn geest de dagen dáár gesleten
Waar ik in U een vriend, een broeder heb ontmoet,
Die dagen vol genot die 'k nimmer *kan* vergeten,
Dan klopt mij luider 't hart, en jaagt mij sneller 't bloed.

Maar ook die tijd vlood heen, de schaduw van 't verleden
Bedekt den schoonen dag die ons zoo hecht verbond: -
Doch wat wij zaam, o vriend, gevoelden, spraken, deden,
Herleeft met dubble kracht voor mij, te dezer stond.

—

Ook gij zijt thans aan 't eind van 't dikwijls zorgvol streven,
Ook gij zijt aan het wit, zoo vurig steeds bedoeld,
Voor U ontsloot zich ook de baan van 't werklijk leven,
En wat *uw* ziel vervult, heeft ook *mijn* hart gevoeld.

En zou mijn vriendenhand voor U geen lauwer vlechten,
Voor U, wiens vreugd mij vreugd, wiens smart mij droefheid blijft,
Nu ons dezelfde pligt nog meer aan een zal hechten,
Nu ons één werk, één doel, éénzelfde roepstem drijft.

Mijn vriend, slechts kort geleên werd mij die baan ontsloten,
Maar 'k zag reeds menigmaal 't gewigt van onze taak;
Gij hebt dat werk aanvaard – thans zaam als strijdgenooten
Het harnas aangegord voor de allerschoonste zaak.

Komt, strijden wij met lust waar ons de pligt moog wenken;
Hoe zwaar de kamp moog zijn, de vriendschap schraagt den moed.
Dat niets op aard dan ooit dien heilgen band moog krenken
Die thans ons beider hart eenstemmig kloppen doet.

Gods zegen blijve ons bij, wat ons op aard moog wachten,
Steeds blijve ons hart voor regt en deugd en godsdienst slaan;
Dan lacht ons eens voor 't goed', verrigt met alle krachten,
Te zaam het heerlijkst loon in reiner toekomst aan.

Leeuwarden,
4 Sept. 1838.

Mr. C. M. A. SIMON VAN DER AA.

—

JANÓ GUIL. TYDEMAN

DOCTORATUM IN JURE ET LITTERIS CAPESSENTI.

Fulget coruscis ut radiis jubar,
Parvas et inter Luna nitet faces,
  Tui et decus virtusque lucent,
    Dum studiis meritos honores

Adis; suisque insignibus Ipsa dum
Donare alumnum, ceu titulis novis
  Astraea virgo ornare gaudet,
    Pluribus o! caput uncte lauris!

Jam si Camoenae essent faciles mihi,
Darent rigari labraque castalis
  Unda, tuas laudes diserte
    Promeritas celebrare vellem.

—

Canora sed desunt tenui lyrae
Fila; - attamen, quaeso, numeros leves
Haurire, tornatumque prave
Carmen amare velis benigne!

Victoriae palmae; diadematis
Splendor micantis; tempora, Laurifer,
Ornata lacta fronde; solers
Ingeniumque piique mores:

Haec inclytorum progeniem patrum
Parentis illustris sobolem notant!
Hinc auspicari, hinc et futuri
Accipere omina dextra fas est.

Deus secundum ne tibi deneget
Cursum dierum; cunctaque prospera
Cadant et ex voto; tuisque
Nominibus decus addat ingens.

Salva et parentum sit diuturnaque
Aetas precamur! - Mox sociam parem
Tibi velit vinclo jugali
Pronuba conciliare Juno.

Amstelaedami,
Sept. CIƆIƆCCCXXXVIII.

C. D'...........R.







